DE

POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS

APUD VETERES

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

G. LAFAYE


SCHOLÆ NORMALIS ET GALLICÆ
IN URBE SCHOLÆ OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD PEDONE-LAURIEL EDITOREM
13, VIA DICTA SOUFFLOT, 13
MDCCCLXXXIII

DE

POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS

APUD VETERES


DEIS MANIBVS SACRVM
ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΑ

DE

POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS

APUD VETERES

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

G. LAFAYE

SCHOLÆ NORMALIS ET GALLICÆ
IN URBE SCHOLÆ OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD PEDONE-LAURIEL EDITOREM
13, VIA DICTA SOUFFLOT, 13
MDCCCLXXXIII

DESIDERATISSIMI PATRIS

B. LAFAYE

OLIM AQUIS SEXTIIS IN FACULTATE LITTERARUM DECANI

ET MATRIS AMATISSIMÆ

MEMORIÆ

D. D. D.

PRÆFATIO

Certamina inter poetas atque inter alios auctores quoslibet instituere, præmiaque et honores iis tribuere qui vicerint, apud nos hac tempestate nonnisi in collegiis doctorum sollemne est. Pauca argumenta, quæ tractentur intra unius aut plurium annorum spatium, facta consultatione proponuntur. Deinde, postquam præstitutum temporis intervallum effluxit, de scriptis, quæ collegio mandata sunt legenda et inspicienda, refert sociorum aliquis, certaque pecunia iis, quos visum est in quoque genere eminuisse, solvitur. Auctores vero ipsos multitudo neque audit, neque judicat. Longe secus sese apud Græcos Romanosque res habebant. Nam litteras illi existimabant multum splendoris ludicris festorum dierum afferre posse et deesse aliquid publicæ lætitiæ, nisi committerentur coram populo qui animos carminibus aut orationibus, ut oculos athletæ corporum pulchritudine, recreare niterentur. Is solus apud Græcos perfecti civis videbatur exprimere formam, a quo neque sine gymnastica arte musica (eo autem verbo amplectebantur quodcumque ad Mu-

sas pertinet) neque sine musica gymnastica coleretur; eas Plato[1] sorores vocat; una enim informandæ juventuli scholis tradebantur, neque corporibus magis quam animis exercendis quæ gymnasia dicebantur fuerant a majoribus destinata. Inde mos incessit, ut per ferias pars utraque illius disciplinæ speciem sacris cærimoniis adjiceret. Quo studio et comici et tragici apud Athenienses opera sua in judicium deferrent, pervulgata res est; norunt omnes vitam cujusque eorum, qui quinto a. Chr. sæculo circa scenam maximo vulgi favore versarentur, unam dimicationem fuisse. Minus hactenus quæsiverunt recentiores an aliorum tum quoque exstiterint præter scenicorum poetarum certamina, quando et unde inceperit quodque celebrari; an posterius eversa libertate servata sint et a Romanis in civitatem recepta; quod in illis auditum sit hominum genus; fuerintne Romæ inter clarissimos poetas et oratores qui de palma contenderent; qui vicisse apud Latinos tradantur, et quibus annis; quid demum momenti illa litteris fecerint. Hanc materiam disputandi, primis lineis a nonnullis adumbratam, non indignam existimavimus, quæ paulo ampliore commentatione tractaretur.

Documenta, que maximam afferrent argumento lucem, ipsi veteres congesserant. In marmore illo Pario, cui inscripta est annalium Græcorum summa, origo certaminum, quæ domi instituerunt Athenienses, necnon præmia apud eos olim proposita, accurate notata sunt[2]. Comperimus etiam fuisse in omnibus ur-

[1] Rep. III. 404. — Cf. Krause. *Gymnastik und Agonistik der Hellenen.* p. 63 et seq.

[2] *Historicorum Græcorum fragmenta* T. V. p. 533 et seq.

bibus, ubi musicæ dabantur commissiones, tabulas, in quibus nomina eorum, qui in quoque festo artis cujusque victoriam tulerant, cura magistratuum exarabantur ; pauca fragmenta earum, quæ non confecit vetustas, ætate nostra eruditi explicuerunt[1]. Inde profecto auctores hauserant quod de poetarum et oratorum certaminibus passim memoriæ prodiderunt : inde maxime sumpserant materiam scribendi Dicæarchus[2] et Callimachus[3], quorum uterque libros *de Musicis agonibus* composuit. Hos evanuisse omnibus antiquarum litterarum studiosis grave est, nemini vero magis quam nobis, quibus, idem curriculum, quod feliciter lustraverant, ingredientibus, eorum auxilium deficiat. Neque enim nudos et aridos victorum indices ex monumentis publicis sine dubio rettulerant, sed multas etiam quæstiones, quas in hac commentatione necesse est in disceptationem venire, ea scientia tractaverant, qua veteres, quia ipsis licebat fontes adire uberrimos, sese prius facile instruebant. Dicæarchi et Callimachi opera, ut in nobis erat, tentavimus quodam modo reficere, omissa quidem illa musicorum agonum parte, quæ, non litteras, sed cantum, fides, tibias, et omnino artem modorum spectabat. Utinam a reprehensione, si minus temeritatis, at certe imperitiæ in tali incepto abfuerimus !

[1] V. infra p. 19 n. 5.

[2] *Hist. Græc. frag.* T. II p· 225 et seq. fragm. 43-51.

[3] Fabricii *Bibliotheca Græca* T. III.

DE

POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS
APUD VETERES

I

DE POETARUM CERTAMINIBUS APUD GRÆCOS ANTE ALEXANDRUM

Græcorum ingenio tale æmulationis studium attribuerat natura, ut artis cujusque, cum primum apud eos inventa est, certamina instituerint, neque ullum sit litterarum genus, cujus profectum ab ipso initio non adjuverint præmiis illos augendo qui in quoque excellebant. Num poetæ antiquitus inter se in sacris agonibus contenderint, jam Plutarchi æquales dubitabant; ille autem, cum in convivio ab amicis id agitaretur, pronuntiavit remotissimis temporibus coronas a poetis reportatas in ludis esse [1], et recte quidem : exemplorum enim magna copia suppetit. Epicis carminibus certavisse [2] primos vates qui fuerunt testantur veteres illæ fabulæ, quibus traduntur mortales, cum ceteris canendo præstiterint, etiam deos provocavisse : sic Linum ab Apolline occisum ferunt,

[1] *Quæst. Sympos.* V. 2.
[2] V. Otf. Mueller *Hist. de la litt. gr.* passim, et maxime cap. IV et VII Bernhardy. *Grundriss. d. Griech. Litt.* § 53 et not. 4.

cui se cantu contulisset[1]; quam artem a facultate poetica principio non sejunctam fuisse constat. Thamyris etiam Thracius, qui ante Homerum vixit, cum Œchalia ex Euryti regis domo rediret, Dorii autem Musas offendisset, ab illis excæcatus esse, aut, ut alii volunt interpretes, ad insaniam adactus dicitur, quia jactaverat se, etiamsi ipsæ Musæ canerent, victurum[2]. Ejusdem consuetudinis certiora documenta apud Hesiodum invenimus. Is, postquam, Musis sub Helicone jubentibus, versus facere incepit[3], ex Aulide trajecit in Eubœam, ut certamina Chalcidis adiret, quæ in honorem patris sui tum mortui dabant Amphidamantis filii; indicta præconis voce præmia multa proposuerant. Hesiodus, cum primum quid posset experiretur, æmulos hymno superavit, et tripodem auritum, quem tulerat, in patriam redux Musis dicavit Heliconiadibus[4]. Unde commenti sunt postea grammatici agona illum inter Homerum Hesiodumque Chalcide coram Ganyctore et Panide, Amphidamantis filio et fratre, commissum, quo victoriam Panis Hesiodo, quanquam inferiori, tribuisset, ita ut proverbii loco dicerent Panidis judicium, qui judicium ab ignaro aut iniquo homine factum vellent significare[5]. Id præcipue in argumentum advocabant qui, ut Plutarchus[6], origines moris illius, de quo ipsi tractamus, ab Homericis temporibus repetebant, et decantatum videbatur: nam, cum sententiam suam ille defendere inciperet, reclamitaverunt amici quasi obsoleta documenta in medium adducturus esset, quorum unum illud erat. Multis vero recentiorum placuit illum locum ab Hesiodi carmine removere, quod veteres, si ea legere potuissent, non disputavissent an Homerus Hesiodusque eadem ætate vixerint[7]. At Hesiodus ibi se cum Homero certavisse ne uno quidem verbo, certavisse tamen indicat, neque est quod rem pro vera non accipiamus. Aliud quoque exemplum ut tritum prætermittit Plutarchus, quod profecto e li-

1 Pausan. IX. 29.
2 *Il.* II. 594-600.
3 *Theog.* v. 1 et seq.
4 *Op. et Dies* v. 648 et seq.
5 Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἀγὼν in Hesiodi operibus a Lehrsio editis.
6 l. c.
7 du Resnel p. 332.

bris Dicæarchi et Callimachi *de Musicis agonibus* desumpserat: Homerum et Hesiodum ait in funere Œolyci Thessali etiam certavisse. Ut novum amicos docet ab Acasto, Iolci rege, cum justa Peliæ patri solveret[1], præmia poetis proposita esse et vicisse in illis ludis Sibyllam, quod se legere meminit in Accsandri *de Libya* libris. Verum ne grammaticorum excerptis diutius immoremur, ipsa epicorum fragmenta idem abunde ostendunt[2], quæ Plutarchum præteriisse jure miramur. Hymni enim *in Apollinem Delium* auctor certamina commemorat non pugilatus modo sed etiam saltationis et carminum Deli ab Ionibus edita. Multa rhapsodorum opera, dum rhapsodi ea quæ recitabant per se ipsi inveniebant, inter illos ludos composita esse consentiunt historici. Hymnorum maxime, qui dicuntur Homerici, eam originem fuisse probabiliter opinantur. Qui Apollinem Delium celebrat, in Deliis certaminibus conditus est; qui Cererem, in Eleusiniis; qui Dianam, in Clariis. Hoc tanto minus dubium videtur, quod qui Veneri inscriptus est hac sententia concluditur: « Salve, dea! da mihi in hoc agone victoriam ferre et carmini meo adspira. » Quod manifesto ad ludos Salamine Cypri commissos pertinet. Hymnorum illorum brevissimos tanquam prooemia certantium quisque suo carmini præmittebat; longissimos continenter post confecta sacra, prius autem quam qui nomina professi erant ordine audirentur, ab uno cantatos esse conjici potest. In Pythiis, tempore quo Crissæ adhuc celebrabantur, id est ante Olympiada XLVIII, 3 (586 a. C.) « antiquissimum certaminis genus et in quo primum præmia sint proposita, eorum fuisse memorant qui hymnum canerent in honorem Apollinis, et primum quidem omnium psallentem vicisse Chrysothemin e Creta, cujus pater Carmanor Apollinem de cæde purgasse dicitur; post Chrysothemin Philammonem cantu vicisse, post hunc, Philammonis filium, Thamyrin. Nam Orpheum mysteriorum scientia et reliqua vitæ dignitate elatum, tum etiam Musæum, quod Orpheum sibi quem æmularetur proposuisset, negant in musicum illud certamen descendere voluisse. Tulisse narrant etiam Eleutherem Pythicam

[1] Cf. Pausan, III. 18, V. 17, VI, 20.
[2] Otf. Mueller et Bernhardy ll. cc.

palmam propter vocis vim et suavitatem, cum alioqui cantilenam non suam decantasset. Hesiodum tradunt repulsam tulisse, quod carmina sua ad lyram canere non didicisset. Homerus Delphos quidem venit consulendi quod opus fuit causa; sed ei, etiamsi fidibus didicisset, propter cæcitatem nulli usui ars esse potuisset [1]. » Itaque omne ferebat punctum qui citharam ipse pulsans versus a se ipso inventos canebat. In Pythiis quoque sine dubio eadem ætate auditus est præclarus ille qui etiam nunc exstat *ad Apollinem Pythicum* hymnus. Ceterum commissionibus poetarum profecto pauca illorum temporum ludicra caruerunt; quorum decem antiquissima percensuit Aristoteles [2]. Chalcidensia, quibus vicit Hesiodus, fortasse etiam attigit Creophylus Samius, qui in suo *Œchaliæ Excidio* Euryti regis infortunia, ab Hercule cum suis occisi, narraverat [3], et jure ambigitur annon ipse Hesiodus Athenas venerit certaturus in ludis qui in Androgei honorem fuerant instituti [4]. Denique verisimile est in agonas poeticos prodiisse quoque eos, qui ab Heraclide Pontico in suis *de Musica* libris ex antiquioribus tabulis citantur, Amphionem apud Argivos, ut videtur, Anthen, hymnorum auctorem, et Pierium, qui Musas laudaverat, in Bœotiæ urbibus, Demodocum Corcyræ, Phæmium Ithacæ, ceterosque qui ante Homerum aut paulo post feruntur vixisse [5]. Illi omnes carmina et inveniebant et citharam pulsantes ipsi canebant; judices, ut exemplo Hesiodi videmus, reges erant, præmia tripodes; quanquam certæ leges in ea re profecto nondum observabantur. Multitudo videtur, quid de poeta quoque sentiret, declarare et conclamatione facta animos optimatium in eum quem maxime probaverat inclinare potuisse. Ceterum non est quod credamus ipsos judices poetas fuisse. « Quamvis in classes divisi essent illius ætatis homines, tamen nondum magno intervallo eas distinxerat illa in ingeniorum cultu diversitas, qua apud

[1] Pausan. X. vii. 2. V. Otf. Mueller *Dorier* IV. vi. 2 Krause. *Die Pythien, Nemeen und Isthmien* p. 11-12.

[2] Schol, ad Æl. Aristid. t. III p. 323.

[3] Otf. Mueller. *Hist. de la litt. gr.* cap. IX, Bernhardy l. c.

[4] Hesiod. fragm. LXXVIII, Bernhardy. l. c.

[5] Heraclid. fragm. in Plutarchi *de Musica* dialogo p. 1132 A. Bernhardy l. c. § 44. 5.

nos fortunarum et dignitatum discrimina augentur. Cum omnes in civitate, exceptis rhapsodis sacerdotibusque, pariter litteras nescirent, pariter omnibus insitum erat illud pulchri studium, generosa illa magnarum rerum cupido, quæ rusticos mores temperat et efficit ut barbariæ etiam ignoscamus[1]. »

Sæculo fere ante Christum natum septimo nova invenire desierunt rhapsodi atque unice in canendis Iliade et Odyssea inter se certaverunt. Clisthenes, Sicyoniorum tyrannus, postquam bellum gessit cum Argivis, vetuit ne rhapsodi Homeri versus in agonibus Sicyone canerent, quod is maxime Argivorum urbem et Argivos celebrasset[2]. Cum Solonis et Pisistrati diligentia Homeri carmina collegit et digessit, rhapsodis posita sunt in Panathenæis præmia, ut Iliada et Odysseam quales conscriptæ erant quam optime recitarent. Hinc cœpit rhapsodica inter musicas artes delabi et qui eam exercebant actoribus scenicis annumerari; quare, cum in omnibus feriis postea rite coronati sint, tamen de illis non magis quæremus quam de tragœdis aut comœdis, quoniam de certaminibus eorum, qui, non aliena et antiqua, sed sua et nova in publico audienda afferebant, instituimus disputare. Noli vero credere, cum rhapsodi ad cantores reciderunt, tum substitisse epicæ poeseos fontes. Cum Homeri et Hesiodi laus ceteras obscuraverit, non defecerunt qui heroum facta in πανηγύρεσι celebrarent; titulis agonisticis quarto sæculo vetustioribus profecto inserta sunt, quod deinde factum esse non uno exemplo videmus[3], multa epicorum poetarum nomina; consummato inter inventionem et recitationem discidio, alia poetis, alia rhapsodis præmia posita sunt. Eorum omnium qui aliquid post Homerum in eodem genere produxerunt de suo et inter æmulos eminuerunt, paucos per veterum chartas novimus. Eumelus Corinthius, qui circa Olympiada XI (a. Chr. 736) floruit, hymnum epicum composuit dialecto dorica : quo gloriabatur Musam suam Jovi Ithomæo placuisse, id est vicisse in Ithomæis ludis apud Messenios[4].

[1] Egger. *Essai sur l'histoire de la critique chez les Grecs*. p. 5-6.
[2] Herod. V. 67.
[3] V. infra p. 29.
[4] Pausan. IV. xxxiii. 3 Otf. Mueller *Hist. de la litt. gr.* t. I p. 203-204

Neque Asium Samium neque Pisandrum Rhodium ab illis certaminibus abstinuisse facile nobis persuademus. Post hos diu tacuit Calliope, aut potius nihil Græcia dignum edidit. Epicum autem genus, post bellum Persicum a Panyaside Halicarnasseo in vitam revocatum[1], non sine laude coluit Chœrilus Samius, qui victoriam Atheniensium de Xerxe cecinit tanto omnium assensu, ut carmen illius cum Homericis rhapsodi populi decreto recitare debuerint ; memoratur etiam Antimachus Colophonius qui Thebaïda scripserat[2]. De illo hæc tradidit Plutarchus : « Lysander, cum ad majorem quam ullus unquam Græcus homo potentiam pervenisset, fastu tamen videtur majore quam pro sua eloquentia elatus fuisse... Samii festum Junonis suum Lysandria vocandum sanxerunt. ... Cum Antimachus Colophonius et Niceratus quidam Heracleota in illis Lysandriis certarent carminibus, Lysander, judex certaminis, Niceratum coronavit. Quod tam ægre tulit Antimachus, ut carmen suum aboleret. Plato autem, illo tempore juvenis, admirans Antimachi facultatem poeticam, solabatur poetam, qui se superatum dolebat, et hoc dicto erexit, inscitis malum esse ipsam inscitiam, ut cæcitatem iis qui non vident[3]. » Iisdem ludis videtur interfuisse quoque Chœrilus, quem Lysander semper secum habuit[4]. Ex Plutarchi narratiuncula jam intelligimus, quod infra manifestius apparebit, illa certamina nonnisi in libera civitate apud bonos cives aliquid valuisse ; sublata libertate, omnibus scriptorum adulationibus et regis aut domini, quicumque ille fuit, tyrannicæ censuræ fores aperuerunt.

Lyrici poetæ etiam antiquitus suffragia principum et populi in feriis petebant ; verum qui in illa judicia primi omnium venisse memorantur, quamvis novorum metrorum inventione amplissimam sui famam reliquerint, tamen epicis etiamtum carminibus videntur coram publico dedisse ingenii sui experimenta. Archilochus enim, priusquam iambo per

n. I. — De Ithomæis agonibus v. Hermann *Lehrbuch d. Griech. Ant. Gottesdienst* § 53. 3.

[1] Suidas Πανύασις V. Panyasidis *fragmenta.*

[2] V. Chœrili et Antimachi *fragmenta.*

[3] Plutarch. *Vita Lysandri* 18.

[4] Plut., l. c. Otf. Mueller t. II p. 484 n. 3.

rabiem armaretur, hymno in Cererem Pari in insula sua vicerat [1], quem ab iis, qui Homerici appellantur, dissimilem fuisse non est cur credamus. Eadem profecto de Terpandro dicenda sunt, qui Spartæ in Carneiis primus omnium [2], anno, ut putant, a. Chr. 676 [3], in Pythiis autem quater deinceps vicerat. Elegi vero in Pythiis, præter epicos hymnos, qui ad citharam canebantur, ad tibiam cani cœpti sunt post annum 686, cum Amphictyones, non jam Crissæ, sed Delphis eos ludos celebrarunt ; sed repudiata aulœdia est non multo post, quod tristes videbantur et minime læti ominis tibiarum modi. In illo intervallo aulœdiam vicit Echembrotus Arcas, elegorum auctor : is tripoda æneum, quem inde tulerat, Herculi Thebano dedicavit cum hac inscriptione. « Echembrotus Arcas dedicavit Herculi hoc simulacrum, cum præmium ludis Amphictyonum meruisset cantatis inter Græcos modulis et elegis [4]. » Dithyrambica certamina Corinthii instituerunt, cum leges novi carminum generis poetis Arion posuit ; tum taurus illi qui ceteris præstiterat cum consuetuto tripode rite datus est [5], ut docet hoc epigramma, quod Simonides Ceius tabulæ, in aliquo templo a se suspensæ, subscripsit : « Sex super quinquaginta, Simonides, tulisti tauros et tripodas, antequam hanc appenderes tabulam, totiensque amabilem cum docuisses chorum virorum, gloriosæ Victoriæ currum inscendisti [6] .» Florente Pindaro florebant in Bœotia illi ludi inter poetas lyricos commissi, et qui ei æmulabantur non modo non ceratis pennis niti tum temporis existimabantur, sed etiam sæpe meliores visi sunt. Corinna illa, quæ juveni Musarum tironi haud sine judicio et sale subtilia artis præcepta tradidisse dicitur [7],

[1] Schol. ad Aristoph. *Av.* 1762.

[2] *Hist. Græc. fragm.* Hellanici *fragm.* 122.

[3] Ex Sosibio Lacedæmonio Ibid. Sosibii *fragm.* 3. Quanquam de anno 676 quod multi probaverant in dubium vocant editores. — De Carneiis et de illa victoria vide. Karl Fr. Hermann, *Lehrb. d. Gr. Antiqu. Gottesdienst* § 53 n. 29 ad 34.

[4] Pausan. X. VII. 6. Krause. *Pythien* § 16 *Verzeichniss der Sieger, Echembrotus.*

[5] Βοηλάτης διθύραμβος Pindar. *Olymp.* XIII.18. V. Bœckhii *Explicationes* ad h. l.

[6] *Anthol. Græca.* VI. 213.

[7] Plutarch. *de gloria Atheniensium* p. 348.

Thebis quinquies illum futurum lyricorum principem superavit. In gymnasio Tanagræorum picta erat Corinna tænia redimita, illarum victoriarum insigni [1]. Posteri, qui Pindarum ex fama, quam sibi postea comparavit, metiebantur, id factum esse conjiciebant, eo quod poeta in auditores incidisset imperitos [2] aut quod Dorica lingua cecinisset, cum Corinnam Æolenses facilius perciperent, aut quod illa fuerit sui temporis feminarum formosissima. Veri tamen similius est, quod nemini succurrit, asperum adhuc et immaturum Pindari ingenium temperata Corinnæ arte minus placuisse. Postea vero, cum omnium Græcorum oculos ille fulgore laudis suæ præstrinxit, Corinna ipsa familiarem suam Myrtim reprehendit quod cum eo concurreret [3]. Pindaro etiam videtur intercessisse, si fides est scholasticis adhibenda, aliqua cum Simonide et Bacchylide simultas [4], quæ fortasse ex eo orta erat, quod illos meliores in publicis ludis judices pronuntiaverant. Lasus Hermioneus dicitur Athenas primus certamina invexisse dithyrambica [5] (anno 508) [6], quibus postea Panathenæa [7], Dionysia [8], Thargelia [9] nunquam caruerunt. Simonides ibi cum eodem Laso contendit [10] et Æschylum ipsum vicit, cum Athenienses præmium ei proposuissent, qui optimis elegis milites, qui apud Marathonem perierant, celebraret [11]; quod fidem non egreditur, quanquam vix consonum est Æschylum eam repulsam tam ægre passum esse, ut in Siciliam migraverit; nam si rationem temporum servaveris, agnosces victoriam Simonidis a discessu Æschyli magno intervallo distare debuisse [12]. Lyricos poetas omnium generum statis temporibus apud Athe-

[1] Ælian. *Variæ historiæ* XIII. 25.
[2] Pausan. IX. xxii. 3.
[3] Bergk. *Lyrici Græci* p. 815.
[4] Schol. ad Pind. *Ol.* II. 154. 155. *Pyth.* II. 131. 161. 166. 167. 171.
[5] Schol. ad Aristoph. *Vesp.* 1401.
[6] Otf. Mueller. *Hist. de la litt. gr.* t. I p. 446 n. 4 ex *Marm. Par.* ep. 46.
[7] Karl Fried. Hermann *Gottes l.* § 54. 22.
[8] Ibid. § 59. 11. 12 et 13.
[9] Ibid. § 60. 21.
[10] Aristoph. l. c.
[11] Plutarch. *Sympos.* I. 10 et *Vita Æschyli.*
[12] Pierron. Traduction d'Eschyle. *Introduction* p. X.

nienses commisisse primus Pericles videtur; legem enim anno 445 impensissimo studio rogavit, ut musicus agon in Panathenæis fieret, et ipse athlotheta electus decrevit quomodo æmuli canere et citharam percutere et tibiam inflare deberent. Lege autem accepta, Odeum exstructum est[1], ubi musicum agona deinde perpetuo Athenienses ediderunt[2].

Scenicorum vero poetarum certamina longe omnium apud Athenienses amplissima et celeberrima fuerunt. Tragica jam florente Thespide exstiterunt; quod, quamvis negaverit Plutarchus[3], pluribus documentis, et illis quidem gravioribus[4], confirmatur. Nam ipse Aristophanes veteres illas choreas laudat, quibus inter tragicos Thespis contenderat[5], et in Marmor Parium relatum est hunc inter annos Olympiadis LXI 1 et 3 (536-534) primum omnium scenicam fabulam in Urbe docuisse et eadem ætate hircum ut præmium æmulis propositum esse[6]. Attamen Plutarchi testimonium cum his duobus eo forsan conciliari poterit, ut Thespidem quidem jam ante Solonis mortem (559), quod Plutarchus narrat, tragœdias docuisse, sed Olympiade LXI primum ad certamen cum aliis poetis publice descendisse statuamus[7]. Anno etiam 524 a Chœrilo fabulam in judicium delatam esse[8], anno 512 vicisse Phrynichum[9] constat. Itaque prius quam Æschylus periculum sui in illo carminis genere primum faceret (500)[10], jam quadragesimum fere annum instituta erant in Dionysiacis illa poetarum tragicorum certamina[11]. Veri quoque simile est tetralogias sive tres tragicas fabulas cum una satyrica in sce-

[1] Plutarch. *Vit. Pericl.* 13. K. F. Hermann. *Gottesd.* § 54. 25.

[2] V. etiam alias victorias a lyricis apud Athenienses relatas in *Marm. Par.* ep. 49. 54. 68 et 73.

[3] *Vit. Solon.* 29.

[4] De veritate totius illius Plutarchææ narrationis jure dubitavit Bentley *Opusc.* p. 303 seq.

[5] *Vesp.* 1476 τἀρχαι' ἐκειν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο.

[6] *Marm. Par.* ep. 43 et Boeckhius ad h. l.

[7] *Trag. Græc. fragm.* p. 4 col. 2.

[8] Suidas Χοιρίλος.

[9] Suidas Φρύνιχος.

[10] Suidas Πρατίνας.

[11] Sic responderi posse arbitramur eruditissimo viro Patin interroganti (*Trag. Gr.* t. I p. 27). « A quelle époque les concours primitivement dithyrambiques devinrent-t-ils encore dramatiques ? »

nam producere jam ante Æschylum apud poetas usitatum fuisse, quod quidem de Chœrilo et Pratina non sine causa conjiciunt [1]. Comicos multo posterius Athenienses commiserunt ; sexto quidem sæculo medio comœdia in Attica apud Icarienses a Susarione inventa est ; et præmii loco data victoribus ficorum sporta et vini amphora [2]. Sed multi anni intercesserunt prius quam publicis sumptibus illa spectacula ederentur, et privatim primum auctores in judicium coram multitudine venerunt [3]. Chorum ab archonte comicis poetis non ante Olympiada LXXX (460) datum esse putant [4]. Deinde unam quisque fabulam in Dionysiacis ordine produxerunt.

Jam cum perspiciamus quando in uno quoque carminum genere illa certamina orta sint, inquirendum est quibus legibus Græci quodque instituerint et quomodo caverint ,ut quam maxima æquitate inter poetas decerneretur.

[1] Patin. op. cit. p. 27 n. 2.
[2] *Marm. Par.* ep. 39.
[3] Aristot. *Poet.* V.
[4] Bernhardy *Grundriss.* t. III § 121 n. 1.

II

DE POETARUM JUDICIBUS APUD ATHENIENSES[1]

Ipsa primum multitudo, quid sentiret de poetis quos in certaminibus audierat, manibus sublatis declaravit; immo Platonis etiam ætate mos ille in Sicilia et in Italia manebat[2]. Primæ inter Græcas civitates Athenæ videntur curavisse ut judices ad poetas coronandos rite constituerentur. Cum plura carminum genera in ferias inducta sunt et crescere certantium numerus et audientium in illos ludos studium cœpit, tum potestatem suam populus paucis magistratibus commisit ad id ipsum electis. Quoniam apud Siculos Italosque tantum sua memoria secus factum esse refert Plato, patet illa judicia, qualia domi Athenienses instituerant, omnes Græciæ liberas civitates imitatas esse. Quæ quinto sæculo incipiente aut paulo ante legibus ordinata sunt hoc modo.

Poeta, carmine absoluto, in manum archontis, qui ludis parandis præerat[3], opus suum tradebat. Huic profecto non

[1] Du Resnel p. 339 ad 343. — Godof. Hermannus. *De quinque judicibus poetarum.* — Egger. *Essai sur l'histoire de la critique chez les Grecs.* Cap. I § 3 — Patin. *Tragiques Grecs* t. I p. 41 n. 1, p. 71 n. 3, 4, 5, p. 72 et seq. — Sauppe. *Ueber die Wahl der Richter in den musischen Wettkämpfen an den Dionysien.*

[2] Plato. *Leg.* II. p. 659.

[3] In Dionysiis *eponymi*, in Lenæis *regis*. K. Fr. Hermann *Staatsalterth.* § 162. 14.

segne ministerium fuit de operibus, quæ acceperat examinanda, consulere; reputa enim, cum tot mediocres poetæ eos vicerint, quorum fama ætatem tulit, quam multos ne certare quidem archon passus sit; adolescentulos illos irridet Aristophanes, qui tragœdias faciunt, quos esse plus quam decies mille ait, multum profecto per jocum numero adjiciens, sed tamen non sine veritate[1]. Quid, si comicorum etiam et lyricorum rationem habeas? Ex illis omnibus eos archon eligebat quos posse coram populo certare existimabat; qui optimi in quoque genere visi erant, iis chorum, a chorego collectum, docendum dabat. Causa cur negaret duplex erat. Primum vix dubitari potest quin certas redhibitionis formulas leges indicerent, ut si comicus statam ætatem nondum compleverat[2]; erat etiam invigilandum ne quicquam auctor contra rem publicam aut sacra auderet, quod libertatem excederet poetis concessam. Nimia sane indulgentia in hoc uti archontes Platoni videbantur; profitetur enim se in sua civitate chorum dari non velle iis qui deos effingerent mendaces, ut Æschylus in *Psychostasia* Apollinem[3]. Quin immo tragicos omnes a civitate sua amovet, aut potius optat iis modo ab archonte chorum dari, qui opera doctrinis philosophorum plane congruentia proferrent. Poetas enim compellans: « Ne putetis, ait, nos facile vobis unquam concessuros esse, apud nos scenis in foro fixis et histrionibus introductis, quibus pulchra vox sit et nostra clarior, concionari ad pueros et mulieres et universam plebem, iisdem de institutis non eadem dicentes quæ nos, sed pleraque etiam contraria; profecto enim non multum abesset quin plane insaniremus et nos et omnis civitas, quæcumque vobis ea, quæ modo diximus, permitteret, priusquam magistratus judicassent, utrum enuntianda et in medium proferenda fecissetis, annon. Nunc igitur, o filii mollibus Musis prognati, magistratibus primum cantus vestros juxta positis nostris ostendemus, et si eadem vel etiam meliora a vobis dicta videbuntur, chorum vobis dabi-

[1] *Ran.* 89 ad 94. Aliter sentiebat Egger p. 15-16.
[2] Bernhardy *Grundriss*. t. III § 121. 1 *Verbote und Beschränkungen*.
[3] *De Re publ.* II pag. 383 c. et Schol. ad h. l.

mus ; si minus, o amici, nunquam poterimus[1]. » Illa philosophi sunt, qui optimum rei publicæ genus prosequitur ; vivide tamen ostendunt, quid periculi liberæ civitati facerent poetarum fabulæ et quomodo vere provisum esset ne nocerent. Hoc etiam ad archontis officium pertinebat, judicare qui in arte sua ceteris præstarent ; quod longe difficillimum erat ; immo mirandum videri potest quod Athenienses homini, quem ad gerendam rem publicam, non ad pensitanda carmina magistratum creaverant, tantam potestatem in summos poetas totam permiserint. Cum quidem electi sunt a populo archontes[2], tum a viris omni liberali doctrina politissimis æstimari potuerunt poetarum principes, Musarum Græcarum æternum decus, neque refugit animus cogitare ad Themistoclem aut ad Aristidem delatas esse Æschyli fabulas. Sed cum sorte ducti sunt amplissimi illi rei publicæ magistratus[3], quotusquisque dignus erat qui inter Sophoclem et Euripidem aut inter Aristophanem et Cratinum decerneret ? Atheniensibus ita faverit natura, ut omnes saperent, volumus ; attamen ille ipse qui sapiebat quomodo tanti acuminis fuisset ut intrepidus sententiam diceret ? Et, ut subtilissimus ille judex sæpius potuerit inveniri, quomodo singuli singulis annis similes exstiterint ? Vix possumus hanc opinionem nobis excutere archontem tantum negotii non in se unum recepisse, sed aliquo consilio intelligentium in eligendis poetis fuisse adjutum. Ille etiam sine appellatione judicabat, nisi quod comici sub alio archonte deinde inepta judicia irridebant, ita ut ad æquitatem incitaretur eo metu, ne a successoribus suis populo traderetur explodendus. Sic archontem quemdam, cum chorum negavisset Sophocli, malo autem poetæ dedisset, Cratinus in *Bubulcis* suis Attico sale adspersit[4]. Ceterum, quantum e fabulis exstantibus existimare est, raro auctores injurias ab archontibus factas expostulabant, sive timore seu plerumque rectam sententiam hi pronuntiavisse visi sint.

Quot carmina cujusque generis archon agi et cani coram

[1] *Leg.* VII, p. 817 D.
[2] Caillemer *Archontes*, apud Saglio. *Dict. des Ant.*
[3] Ibid.
[4] *Com. Gr. fragm.* t. II p. 27 seq.

populo permitteret, ambigitur, quod ad tragica quidem et comica attinet ; nam de lyricis et epicis tacent recentiores; dithyrambos tamen usque cantatos in Dionysiis fuisse constat[1], et epicos versus vix credimus in Panathenæis præter rhapsodiam novos defuisse : ex titulis enim novimus sua eis præmia perpetuo fuisse in feriis, quæ a magnificentia Atticarum longe distabant[2]. Tetralogias quinque et totidem comœdias in Dionysiis majoribus actas esse multi post Bœckhium[3] scripserunt[4], eo, ut recte notavit Sauppius[5], maxime freti, quod in didascalia ad *Plutum* Aristophanes fertur cum quattuor poetis certavisse. Verum illos erravisse, aut potius tempora confudisse, demonstratum est. Nam si quintum sæculum respicimus, non dubitari potest quin tres tetralogiæ tresque comœdiæ tum continuo in Dionysiis actæ sint, et quia tres tantum poetæ in didascaliis ad fabulas illius ætatis memorantur, et quia plures intra feriarum spatium certare non poterant. Putant enim unam diem uni tetralogiæ et uni comœdiæ agendis opus fuisse, tres autem dies scenicis ludis impensos ; tetralogiam ante meridiem, comœdiam post actam esse[6]. Posterius vero, cum comicis chorus a Triginta viris ademptus est, plures fabulæ intra idem temporis spatium in scenam induci potuerunt, quoniam pauciores horas quæque requirebat, unde factum est ut cum *Pluto*, cum anno 390 eum auctor reposuit, quattuor alias comœdias Athenienses spectaverint[7]. Itaque, ne longius a proposito digrediamur, apparet ante captas Athenas archontem tribus poetis in quoque carminum genere permisisse ut certarent; novem igitur numero eos fuisse, qui in Dionysia majora choros docerent, si quidem de dithyrambicis idem, quod de scenicis, inferre licet[8].

[1] V. supra p. 8 n. 8.
[2] V. infra p. 44.
[3] C. I. G. t. I p. 352.
[4] Geppert *Altgriech. Bühne* p. 197. Schneidewin *De hypothesibus tragœdiarum Græcarum Aristophani Byzantio tribuendis* p. 11. A. Kirchhoff. *Zwei Argumente* p. 7.
[5] p. 17 seq.
[6] Ibid. p. 19 seq.
[7] Adde C. I. G. 231 (354-353 ante Chr.) et Isæi *in Dicæogen.* § 36.
[8] Egger. l. c. n. B. p. 500-501 et paulo copiosius Sauppius l. c.

Jamvero tres illos poetas, qui chorum acceperant, quis inter se conferret et judicaret, videndum est. Multa de hoc primus Sauppius attulit, quæ perquam digna sunt quæ ordine exponantur. Cum choregi designati et poeta cuique eorum ad docendum chorum attributus erat, tum in Consilio Quingentorum, præsidente archonte et præsentibus choregis, tacitis suffragiis eligebantur illi ex quibus postea pauciores sorte ducerentur carminum judices. Illam lectionem Sauppius conjicit non tributim factam esse, id est non tribuli suo quemque senatorum suffragari debuisse, sed uni cuilibet Atheniensium potuisse. Veri tamen simile est omnes ejusdem tribus senatores studuisse ut tribules suos eligerent, cum tribum vincere suam omnibus civibus cordi esset. Ea lex etiam observabatur ut separatim eligerentur qui de tragicis, comicis et cyclicis choris pronuntiare possent ; ter igitur quisque senatorum sententiam rogabatur. Datis suffragiis, urnæ, in quas conjectæ fuerant tabellæ, signabantur a prytanis choregisque, præsentibus et curantibus iis quorum recte rem fieri intererat. Deinde quæstoribus credebantur, qui eas in opisthodomo Parthenonis asservabant, donec tempus feriarum adesset[1].

Die dicta sortibus consulebatur quo ordine cani et agi poemata deberent : primo loco certare pessimum habebatur, quod periculum erat ne auditoribus postrema, ut fit, maxime placerent[2]. Sorte etiam, urnis e Parthenone in theatrum allatis, ducebantur judices certaminis, aut, ut Athenienses vocabant, κριταί [3]. Illorum, quos senatus elegerat, nomina neque antea neque tum publice recitata fuisse manifestum est. Neque enim eam unice ob causam, ne quis per fraudem tabellas aut subtraheret aut adderet, sed etiam ne, si illi cognoscerentur, malis artibus, prius quam inciperet certamen, attentaretur eorum fides, urnas prytanes et choregi signaverant. Narrat Isocrates Pythodorum quemdam urnis dolo malo resignatis plures tabellas exemisse[4]. Si cogitaveris id capitale facinus fuisse[5], existimare possis quam ambitionem illi agones

[1] Lys. IV. 3. Isocr. XVII. 33 Sauppius p. 4 ad 9.
[2] Aristoph. *Eccles.* 1154.
[3] Poll. III. 145.
[4] XVIII. 33.
[5] Isocr. l. c.

pepererint, et quam intenta cura cavere debuerint magistratus. — Atenim, dicet aliquis, si nomina tabellis inscripta ignorabantur, nonne a theatro abesse poterant ii quos elegerat senatus, ex quibus erant judices sortiendi ? — Poterant quidem ; sed tamen animadvertendum quemque privatim a senatore, qui eum elegerat, scire potuisse se electum esse[1] ; ceterum si a theatro abesset, nihil obstabat quin alterius nomen, qui vices ejus expleret, deinde duceretur. Sortitionem illam publice faciebat archon, coronam in capite gerens[2]. Urnis in scena positis, nomina trahebat ; quæ postquam præconis sane voce pronuntiata fuerant, vocabat ad se novos judices et jurare jubebat se nonnisi re perspecta et cognita et libero animo sententiam laturos. Prohibebantur spectatores jurantibus adstare aut verba præire. Haud levis causa fuit, cur Demosthenes Midiam accusaret, quod illa deliquerat[3].

De numero judicum multum disputatum est. Cum comœdias a quinque viris æstimatas fuisse constet[4], de tragœdiis idem probabiliter opinantur eruditi. Hermannus vero, decem illos judices cum decem tribubus conferens, multa conjecit quæ Sauppio, et merito quidem, non placuerunt. In hoc enim maxime ille errabat, quod cyclicorum chororum judices in rationem non inducebat, quos etiam Dionysiis patet interfuisse[5]. Si quinque numero, ut in aliis certaminis partibus, fuerunt, quindecim omnino judices statuisse de carminibus sequitur.

Quando sortitio eorum facta sit, utrum ante inceptum an post confectum certamen, altera quæstio est. Illa opinio plerisque, hæc Sauppio arrisit. Qui rem enodare enixus est, allata hac notissima Plutarchi narratiuncula : « Cum primum fabulam Sophocles juvenis adhuc doceret (æmulum au-

[1] Sauppius p. 10.

[2] Dem. *In Mid.* § 17.

[3] Aristoph. *Eccles.* 1154 et seq. Pherecrat. Κραπάταλοι fragm. 16 in *Comic Græc. fragm.* — Plato *Leg.* XII p. 949 Demosth. *Mid.* § 17 et 65 *argumentum* II p. 511. — Andocid. *in Alcibiad.* § 21. — D. Chrysostom. 52 p. 549.

[4] Hesych. Schol. Cod. Venet. ad Aristoph. *Av.* 445 Zenobius III 64. Suidas I II p. 273.

[5] Eundem errorem invenies apud K. Fr. Hermann *Lehrb. Staatsalterth.* § 148. 13.

tem haberet Æschylum) orto inter spectatores dissidio et rixa, archon Apsephion certaminis illius nullos delegit arbitros, sed Cimonem, una cum collegis in theatrum progressum, cum is deo rite libasset, retinuit juramentoque adactos coegit considere atque judicare ; erant autem decem viri, unus ex quaque tribu[1].... » Reliqua nemo non novit ; Sophocles vicisse traditur Æschylusque ægerrime id tulisse pauloque post irato animo in Siciliam concessisse, ubi mortuus est. Inde hoc sibi sumpsit Sauppius Apsephiona nondum judices sortitum esse, cum Cimon theatrum intravit, quod nonnisi peracto certamine potuit fieri : unde enim illud inter spectatores dissidium, unde illa rixa orta esset, nisi jam spectavissent Æschyli et Sophoclis fabulas ? Quomodo ad id convicii venissent, ut archonti necesse videretur extra ordinem consulere, nisi certantium Musæ in diversas partes animos jam rapuissent ? Adde quod a Lysia[2] inducitur choregus quidam, cui, cum in Dionysia chorum instruxisset, amicus forte a senatoribus inter eos electus est, ex quibus ad illos ipsos ludos archon judices sortiri deberet. Amicus amici choregi nomen tabellæ suæ jam inscripserat, ut, si sententia ferenda esset, ei suffragaretur ; judex autem sorte non ductus est[3]. Quomodo, inquit Sauppius, tabellæ nomen inscripsisset, priusquam chori cecinissent ! Ergo postquam omnes cecinerant, fiebat judicum sortitio. Quod cur ita instituerint Athenienses supervacaneum est demonstrare ; contingebat enim ut judices precibus fatigare aut minis territare inter ipsum certamen nemo posset et seposito omni studio carmina æstimarent[4].

His, quanquam aliquid in se habent quod placere possit, tamen multa repugnant. Primum, si vera essent, vix intelligeretur qui fiat ut sæpe *κριτάς* in mediis fabulis comici compellent[5]. Κριτάς igitur deberes interpretari non quos judices

[1] *Vita Cimonis* 8.

[2] IV. 3.

[3] ἀπέλαχε δέ.

[4] Addit Sauppius Dem. *Mid.* § 18, ubi ex eo quod non προσδιαφθείρας τοὺς κριτάς sed προδιαφθ. legunt critici, sumit argumentum. Et ibid. *Hypothes.* II p. 511 καὶ δὴ καὶ ὡς ὁ Δημοσθένης λέγει et cetera... quæ parum firma ad probandum nobis videntur.

[5] Aristoph. et Pherecrat. ll. cc. Eupolis Πόλεις *fragm.* 30 *Com. Græc. fragm.*

archon sortitus erat, sed quos elegerat senatus ut judices postea sorte ducerentur. Quod Sauppium a conjectura sua non deterruit; immo eam hoc exemplo tutatur: cum agerentur Aristophanis *Nubes*, auditores poetam tanto plausu prosequebantur, quanto nunquam antea, victoremque clamabant, mandabantque judicibus desuper ut Aristophanis nomen, non alterius, supremum scriberent[1]. Quod si in media, ut voluit Sauppius, ludorum commissione evenit, per judices significari deberent futuri judices, quod nullo pacto credi potest. Aliud etiam admonet Bernhardius[2], et illud quidem verissimum. Judicibus cyclicorum chororum constat, si male judicavissent, pœnam irrogatam esse[3]. Quo autem modo crimen probari potuisset, si judices, statim ut eos sortitus erat archon, sententiam tulissent? Respondissent se, uti e fide sua visum erat, unice decrevisse, neque quisquam unde refelleret habuisset. At contra si judices, priusquam ludi committerentur, constituti essent, argui poterat, eos per tres quattuorve dies continuo ab illo quem coronaverant fuisse subornatos, ita ut appareret eos sacramenti religionem rupisse. Jamvero sua Sauppio exempla non opitulantur. Lysiæ enim verbis, cum desideretur orationis initium, nihil obscurius, et, etiamsi recte explicantur, parum lucis afferunt. Plutarchus non modo non peractum esse certamen, cum Cimon theatrum ingressus est, sed etiam longe aliud significat his verbis, quæ Sauppius prætermisit: ut Cimon cum collegis judex ab archonte factus est, « fuit certamen vel propter eorum auctoritatem ardentius. » Quid fuerit, cur, prius etiam quam ageretur fabula, spectatores inter se rixarentur, id explanandum non suscipimus; notandum tamen est illam contentionem æque ob choros choregosque atque ob poetas, quorum unus nondum innotuerat, oriri potuisse; quæ æmulatio inter tribus vel ante ludos intercederet, quibus artibus multi uterentur ad victoriam sibi antecapiendam aut inimicis adimendam, ostendit Pythodori illius, quod supra rettulimus, exemplum[4]. Itaque,

[1] Ælian. *Var. hist.* II. 13.
[2] T. III § 114. 6 p. 135.
[3] Æschin. *Ctes.* 232.
[4] V. supra p. 15 n. 4.

donec afferantur nova documenta, statuendum est Dionysiorum judices prima die, antequam primum carmen recitaretur, archontem sortitum esse.

Peractis ludis, illi sententiam de poetis per tabellas ferebant ; qui majori parti, tribus scilicet, placuerat, vicisse pronuntiabatur. Aristophanes, facete mitigato mali ominis verbo, dixit « unius judicis sententia vincere, » ut subaudiretur « repelli[1]. » Præmium dabatur tribui et chorego et poetæ commune tripus æneus, qui in templo Apollinis Bacchive aut in Via Tripodum consecrabatur, inscriptis in basi tribus choregique et didascali (qui plerumque poeta fuerat) nominibus, aliquoties etiam tibicinis et archontis[2]. Præterea coronabatur, ut choregus, poeta ; dubitant annon pecuniam quoque acceperit[3]. Demosthenis primum ætate æneæ statuæ iis, qui carminibus vicerant, in theatro erectæ sunt, sed honor ille adeo pervagatus est, ut paulo post eviluerit[4]. Judiciorum acta in litteras publicas referebantur. Exstant tituli, quibus inscripta sunt nomina eorum, qui in Dionysiis certaverunt[5]. Toti albo titulus præscriptus erat *Dionysia;* in singulis capitibus, quorum quodque unum annum complectebatur, legebantur nomina primo archontis, secundo poetarum eo ordine quo certaverant, adjectis cuique sua fabula et protagonista a quo acta erat, tertio poetæ illius qui vicerat. Ex illis tabulis, quæ Athenis in templo Bacchi asservabantur, postea desumptæ sunt a grammaticis quæ vocantur didascaliæ[6]. Denique in more fuit, quod Romana etiam ætate mansit[7], ut poeta, quem coronaverant judices, amicos ad cœnam invitaret, et pro facultate sua exciperet : Agatho enim tragicus, cum primum æmulos superavit, epulas illas struit quibus Socrates et Plato interfuerunt[8]. Io Chius,

[1] *Av.* 445.

[2] C. I. G. 211 ad 226. Adrien Krebs *Choregia* apud Saglio *Dict. des. Ant.* p. 1118, col. 2.

[3] Schol. ad Aristoph. *Pac.* 696, Bernhardy t. III § 114. 8, p. 142.

[4] Bernhardy ibid. Patin *Tragiq. Gr.* t. I p. 101, n. 2.

[5] V. exempli gratia C. I G. 231 et indicem omnium titulorum ejusdem generis, usque ad hoc tempus in Attica repertorum, apud Conrad Bursian *Jahresbericht..... Griechische Epigraphik* II (*Attika*) 5 (*Musische Inschriften.*)

[6] Boeckh, ad C. I. G. 229.

[7] V. Lucian. *Charidem.*

[8] Ἐπινίκια. Platonis *Conviv.* p. 173 A. et 174. A. Aristoph. ap. Athen. *Deipnosoph.* IX p. 387 F.

cum dithyrambum simul et tragœdiam vicisset, Atheniensibus Chium vinum gratis misit cuique pariter distribuendum[1].

Anquirunt recentiores utrum judices unice, quis poetarum arte sua optime usus esset, decernere, an etiam, si quis forte contra sacra aut rem publicam peccasset, eum accusare et castigare deberent[2]. Hoc multi conjecerunt ex his verbis Aristotelis : « Modus est dissolvendorum criminum, si jam factum est judicium, quemadmodum Euripides contra Hygiænontem in *Antidosi*, cum accusaretur tanquam impius, quod juberet pejerare, cum versum illum fecisset : juravi lingua, mentem injuratam gero ; dixit enim injuste eum facere, qui judicia ex certamine Dionysiaco in forum adduceceret, namque se ibi jam rationem reddidisse, aut redditurum, si ibi vellet accusare[3]. » Verum illa ad concionem pertinent in templo Bacchi habitam postridie Pandia, quæ continuo post Dionysia celebrabantur[4]. Ita se lex habebat : « In ea concione primum de sacris prytanes agunto, post de querelis pompæ causa factis, aut propter certamina in Dionysiis commissa, quæ multatæ non fuerint[5]. » Rogare poterat quilibet ut quæreretur de iis quæ contra jus fasque in festo delicta erant. Qui culpam commeruisse populo videbantur tribunali deferebantur judicandi. Itaque respondebat Euripides inimico in foro accusanti, se post Pandia in templo Bacchi, ut volebant leges, causam jam dixisse, eum autem contra leges facere, qui litem peroratam alio deduceret. De tribunali autem quod sententiam ferebat, non constat. Phrynichus, cum ei multa mille drachmarum irrogata esset, quod Miletum a Persis captam nimia arte in theatro effinxisset[6], a quibus judicibus damnatus sit, auctores non tradiderunt. Æschylum, de impietate ob *Eumenidas* suas[7], ut ferunt, pos-

[1] Athen. I p. 3 seq. Schol. ad Aristoph. *Pac.* 835. Patin l. c. p. 91.

[2] Boettiger *Opusc. lat.* p. 74, Platner. I p. 394 et seq. Heffter p. 409. K. Fr. Hermann *Staatsalterth.* § 148. 13 Sauppe l. c.

[3] Arist. Rhet. III.

[4] Ch. Em. Ruelle *Calendarium* apud Saglio *Dict. des Ant.* p. 826.

[5] Dem. *Mid.* 9. Æschin. II § 61.

[6] *Trag. Græc. fragm. Phrynichus* p. 11 col. 1.

[7] Clem. Alex. *Stromat.* II p. 166 seq. Bernhardy t. III § 117 p. 231.

tulatum, Areopagus judicavit et absolvit. Apparet igitur Dionysiorum judicibus nullam aliam datam esse provinciam, nisi ut pronuntiarent, quis poetarum artem suam maxime calleret.

Castigatos eos esse, si inique judicavissent, testatur Æschines[1]; sed qui de ea re cognoscerent, incertum est. Quidam ad λογιστάς[2] vel ad εὐθύνους causam delatam esse volunt, parum probabiliter utrumque. Provocare tamen adversus illorum sententias neminem potuisse viri docti arbitrantur[3]; nusquam enim eas rescissas videmus. At, si verum crimen coargueretur et manifestum fieret corruptos esse judices, quam venerationem sententia, quam laudem victores habere poterant? Si malis artibus alii usi esse viderentur, quomodo alii palmam aut repulsam meruisse? Fuisse igitur aliquem appellandi modum, quanquam de hoc documenta omnino deficiunt, suspicamur.

Illa fere de judicibus Dionysiorum colligi possunt. Quomodo præmia dithyrambicis et scenicis poetis in theatro tribuerentur, inde satis intelligimus. Quam juvaret eadem nosse etiam de certaminibus epicis et lyricis, quæ in Odeo post Periclem in Panathenæis commissa sunt! Musicorum enim agonum, quos Athenienses instituerunt, rationem omnem teneremus. Videtur tamen iisdem legibus, quibus Dionysia, ceteros ludos compositos esse[4]. Quam sacro officio defungi existimarentur judices, et quanto melius quam ipsa multitudo de carminibus decernere, haec Platonis verba ostendunt: « Tantum ego quoque concedo multitudini voluptate judicandam esse musicam, neque vero obviorum quorumlibet, sed illam fere musam pulcherrimam esse, quæ optimos et satis eruditos delectet, maximeque quæ unum virtute et eruditione excellentem. Virtute autem propterea horum judicibus opus esse dicimus, quod non prudentiæ modo eos participes esse oporteat, sed etiam fortitudinis. Neque enim a theatro oportet verum

[1] Bernhardy t. III § 232. V. supra p. 18 n. 3.
[2] Fritzsche *De Aristoph. Dætal.* p. 120.
[3] Geppert. *Altgr. Bühne* p. 209. Sauppius p. 14, quamvis aliter senserit Platner l. c.
[4] V. supra p. 11.

judicem discere quid censendum sit et stupefactum strepitu multitudinis suaque ipsius inscientia judicare, neque scientem rursus ob ignaviam et timiditatem eodem ex ore, quo deos invocavit judicaturus, falsum temere emittere judicium. Non enim discendi causa, sed docendi potius, ut jus est, spectatores, judex sedet, adversaturusque iis, qui non convenienter neque recte oblectationi omnium providerent. Hoc enim idem permittebat lex Græcorum antiqua, quod etiamnunc Sicula et Italica, multitudinem nempe spectatorum, quis vicerit, manibus sublatis pronuntiare. Quod et ipsos poetas corrupit (quippe, cum carmina sua pravis judicum studiis accommodent, consequitur ut a spectatoribus erudiantur) et voluptatem infecit spectatorum ; nam , cum deberent semper meliora suis moribus audientes, meliorem voluptatem sibi comparare, nunc omnia contra eveniunt [1]. » His Plato judices poetarum Athenienses non modo non obtrectare [2], sed etiam magnopere laudare nobis videtur : patrio enim mori alienum a se posthaberi haud dubio sermone declarat. Attamen de illo instituto parum benigne, ne dicamus amplius, scripserunt recentiores, propter hanc præcipue causam, quod a comicis judices male habitos videbant. Illis enim diffisum esse putabant Aristophanem cum diceret : « Judices pauxillum monere volo : sapientes, ut quæ sapienter a me dicta sunt, eorum meminerint, cum de me judicabunt ; qui libenter rident, ut, quæ ridicule. Itaque fere omnes, ni fallor, mihi suffragabuntur. Ne autem id nobis obsit, quod, sortibus ductis, primi in scenam prodire debuerimus. Sed illa omnia recordentur, et, servata jurisjurandi fide, choros recte semper judicent,neque improbarum meretricum morem imitentur, quæ semper postrema tantum benefacta in memoria habent [3]. » Et severius etiam in *Ranis*, cum Æacus Xanthiæ nuntiat Æschylum Euripidemque inter se in inferis certaturos : « Quis vero judex erit ? — Hoc difficile erat : nam sapientium virorum magnam penuriam duo adversarii deprehenderunt ; neque enim Æschylo cum Atheniensibus conveniebat. — Multos

[1] *Leg.* II p. 658.
[2] Ut voluit Patin, qui locum non integrum refert. *Trag. Gr.* T. I, p. 71, n. 5.
[3] *Eccl.* 1154 seq.

forte existimabat esse apud eos perfossores parietum ? — Præterea nihil nisi meras nugas eos censebat in dignoscendis poetarum ingeniis [1]. » Et Pherecrates : « Judices, qui nunc judicant, cavere jubeo ne pejerent, neque injuste judicent, aut per Jovem, amicitiæ præsidem, aliam contra vos orationem habebit Pherecrates hac longe maledicentiorem [2]. » Numerosæ etiam illæ repulsæ, quas tragicorum maximus quisque accepit, haud parum famæ judicum Atheniensium apud posteros nocuerunt [3]. Postremo notant Simylum quemdam, qui fortasse poetis mediæ comœdiæ annumerandus est, queri quod raro inveniatur judex, qui carmina statim ut recitantur excipere possit [4].

Quoniam misellos illos judices tam aspere judicant critici (quis autem judex indulgenter judicatur ?) liceat parumper causam recognoscere. Primum comici eos ne male statuant admonent, male statuisse non insimulant, et ipse Aristophanes, cum neminem esse Athenis ait, qui dignoscere poetarum ingenia possit, non magis serio loquitur, quam cum omnes Athenienses vocat parietum perfossores. Pro certo habeas utrumque jocum eodem risu, eodem plausu audientium acceptum esse. Repulsas tragicorum per grammaticos novimus, quorum plerique sub imperatoribus Romanis vixerunt, ac ne illi quidem inter se de numero earum consentiunt. Sophoclem viginti quattuor victorias tantum tulisse traditur ; at si quamque tetralogia tulit [5], necesse est nonaginta sex fabulas ejus de centum et viginti tribus aut centum et tredecim coronatas esse. Euripidem hic quinquies, ille quindecies vicisse commemorat. Quid obscurius, quid ad firmandam opinionem debilius [6] ? Miramur rursus conquestiones adversus judicum sententias apud poetas aut poetarum æquales paucissimas inveniri, si quidem conquestiones sunt quæ ex comicis excerpuntur. Quærimus, si Euripides, exempli

[1] *Ran.* 805.
[2] L. supra citato.
[3] Patin l. c. p. 72 seq.
[4] Patin p. 71 n. 4 Luciani locus (*Harmonid.* II), qui præterea affertur, non ad poetas pertinet.
[5] Patin l. c. p. 72 n. 8.
[6] Bernhardy t. III § 114. 6. p. 135, 136.

causa, tam incredibilem repulsarum numerum accepit, unde illi sua ingens orta sit viventi fama, et quomodo vir ille singularis ingenii et celeberrimi inter cives suos nominis, cum a mediocribus aut etiam malis poetis fere constanter victus esset, tamen sustinuerit usque ad mortem fabulas in certamen proferre? Putandum esset, tota civitate effusissimo studio illi favente, judices, qui ex civibus quotannis et ad unum quodque festum eligebantur, semper alieno animo in eum fuisse, Euripidem vero, tot injuriarum nunquam pertæsum, sese ultro ad novas contumelias obtulisse.

Præterquam quod his dubiæ fidei documentis ut certis utebantur critici, ideo etiam erravisse nobis videntur, quia, quo modo illa judicia vere instituta fuerint, ignorabant. Scripsit enim unus eorum de judicum jurejurando : « se justos quidem fore, non se sapere, jurabant[1]. » At ob id ipsum lege cautum erat, ut qui de carminibus pronuntiare possent a senatu eligerentur ; inde enim eveniebat, ut sorte ducerentur judices nonnisi ex iis, qui ad gerendum illum magistratum maxime inter omnes cives sapere summo rei publicæ consilio visi erant. Inscitiam eo modo, ut ambitum et corruptelam adactis ad sacramentum judicibus, omnino amoveri non potuisse quis negat? Sed tamen ut amoverentur, ut in homine est, ille providerat a quo lex fuerat apud Athenienses lata. Adde huc quod sententiam dicere in illis certaminibus sæpe arduum vel acerrimis et æquissimis æstimatoribus erat, non modo quia post artis cujusque principes multi haudquaquam ultimæ sortis exstitere, qui, inclinantibus aut aliquantisper deficientibus illorum ingeniis, non ita vilia producere potuerunt, sed quia spectaculi etiam apparatum judices debebant imputare. Grammatici, qui multis post sæculis[2] volumina Euripidis aut Sophoclis legebant, mirabantur hos a Nicomacho aut a Philocle victos esse[3]. Sed qui actas fabulas suis oculis in theatro perspexerunt, quis dicere possit quomodo motus sit eorum animus? Una et eadem sententia judex de-

[1] Lévesque. *Consid. sur les trois grands tragiques de la Grèce*, a Patino laudatus p. 71 n. 4.
[2] Æl. Aristid. II p. 334. Ælian. *Var. histor.* II. 8.
[3] V. Patin op. cit. p. 73.

clarabat quid videretur in quaque fabula cum de carmine, tum de choris et de chorego et de actoribus, neque unquam vicisse carmen primæ fabulæ, chorum et choregum secundæ, actores tertiæ traditum est. Quare, cum ante omnia æstimaretur quanti carmen esset, et poetæ, ut par erat et per didascalias[1] videmus, vera victoria tribueretur, tamen vix dubium est quin illi chorus minus bene instructus aut malus protagonista magnum detrimentum afferret.

Ceterum, utut de iis censendum est, qui musica judicia apud Athenienses exercuerunt, illa, si in se ipsis considerentur qualia instituta sunt, plane admiranda nobis videri fatemur. Quid enim libera civitate dignius ? quid aptius ad alendas artes fovendaque ingenia ? Exstiterit inde, ut ex omnibus Atheniensium institutis, aliqua licentia, magna illa potestas in summi ingenii viros imperitis aut iniquis civibus aliquando permissa sit, nihil repugnamus. Atenim illas injurias nihil potuisse ad frangendos poetarum animos testatur excitata post Æschylum laus Sophoclis Euripidisque, post Aristophanem Menandri ; eam vero magna ex parte pepererunt qui primi illorum capitibus coronam imposuerunt.

[1] C. I G. 231.

III

DE POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS APUD GRÆCOS AB ALEXANDRO AD AUGUSTUM

Circa Alexandri tempora multa in certaminibus poetarum mutata sunt. Cum omnibus compertum fuit quantum possent in studiis alendis provehendisque, fuerunt profecto, qui poscerent, ut eorum numerus et honores victoribus tributi augerentur. Quanto magis refrixit apud philosophos gymnastica [1], tanto acriore contentione quæ musicæ vocabantur artes excultæ sunt. Ipse Euripides exclamaverat : « Malis quanquam innumeris Græcia laborat, nihil athletarum genere pejus habet, » et : « Viros sapientes probosque fronde coronare oportebat, et quicumque optime rem publicam administrat, prudentiæ ac justitiæ particeps, *et qui dicendo res perniciosas avertit pugnas dissidiaque componens*. Talia enim et universæ civitati et omnibus Græcis decora sunt [2]. » His consonant quæ Isocrates in exordio Panegyricæ orationis loquitur : « Sæpe equidem miratus sum, iis, qui celebritates has congregarunt et agonas gymnicos instituerunt, cum tanta præmia proposuerint athletis, qui feliciter corporum viribus certaverunt, illos nullo honore dignos visos esse, qui rei publicæ studio privatos labores cepissent et animis ita se parassent,

[1] Saglio. *Dict. des Ant. Athleta* p. 519 col. 1 not. 121.
[2] Eurip. *fragm.* 281. (*Autolycus*).

ut aliis quoque prodesse possent. Quorum eos rationem potius habere decuit. Nam etsi pugilum robur conduplicaretur, nullus tamen ex eo fructus rediret ad ceteros; *unius autem viri prudentia fruuntur omnes, qui ejus consiliis parere volunt* [1]. » Tollendos esse athletas et gymnica certamina, pauci sane Græcorum, ut Euripides, illa ætate censuerunt; nihil enim magis in honore usque ad ultimos Romanæ ditionis annos apud illam gentem stetit [2]. Eo autem evaserunt illæ querimoniæ, ut omnes inter se contenderent et civitates et reges, qui maxime poetas et litteratos foverent. Tum certamina eorum instar, quæ Athenis eminentissimi viri illustraverant, ubique instituta sunt. Tragici in Sicilia multi post Æschylum aut etiam, ut ferunt, in illius sepulcro novas fabulas docuere, et Empedocles tyrannique Dionysius Major et Mamercus Catinensis ausi poetæ, quem Hiero Syracusas olim acciverat, vestigiis insistere [3]. Macedonibus Euripides, ut Siculis Æschylus, suam artem primus tradidisse dicitur et ea profecto causa fuit cur Musæos ludos domi rex Archelaüs poneret; quibus Athenienses auctores fere soli primum videntur fuisse coronati [4]; postea vero Macedones ipsi ad præmia enixi sunt, ut Euphantus Olynthius, Antigoni præceptor [5]. Immo per Thraciam Magnamque Græciam [6] et Asiam sese illarum contentionum lumen brevi diffudit. Artemisia, Cariæ regina, « cum monumentum diis manibus sacris Mausoli conjugis dicaret (352,) agona laudibus ejus dicundis fecit, posuitque præmia pecuniæ aliarumque rerum bonarum amplissima. Ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua præstabili, Theopompus, Theodectus, Naucrites. » Aulus Gellius se vivente adhuc exstitisse ait Theodecti tragœdiam, quæ inscribebatur *Mausolus* [7]. Alexander, in Phœnicen ex Ægypto reversus, sacrificia diis pompasque instituit et chororum cyclicorum et tragicorum agonas non apparatu modo sed et cer-

[1] Cf. Vitruv. *præfat* libri *IX*.
[2] Friedländer. *Sittengeschichte Roms*.
[3] Patin. l. c. p. 81 ad 87.
[4] Ibid. p. 87 ad 90.
[5] Ibid. p. 105.
[6] Ibid. p. 90.
[7] A. Gell. X. 18. Patin l. c. p. 102. 103.

taminibus splendidos. Judicium tulerunt ducum laudatissimi. Qui vero poetæ ibi eminuerint, incertum est [1]. Alexandriæ etiam Lagidæ Dionysia Atheniensia imitati sunt : Menandrum Philemonemque memorant a Ptolemæo invitatos esse ut in Ægyptum venirent de præmiis artis suæ cum Alexandrinis certaturi et multa carmina perpetuo in illis ludis coronata esse [2]. Sæculo insequenti alios ejusdem modi in Phocide et Bœotia cœptos esse committi ex titulis maxime novimus. Anno ante Christum natum 279, cum Gallicum tumultum Delphi ægre, neque sine deorum, ut putabant populares, auxilio, superassent, Ætoli, Atheniensibus sociis consilii per legatos assumptis, decreverunt ut ludi gymnici et musici in honorem Jovis Servatoris et Apollinis Pythii statis temporibus fierent, quos Soterios appellaverunt. Tabula, cui mandatum erat decretum, trunca [3], et quattuor aliæ, quibus nominatim recensentur qui inter annos 220 et 190 spectati sunt, integræ [4] exstant. Hoc Soteria a Panathenæis aut Dionysiis differebant, quod, nullo commisso certamine, qui Delphos aderant, ut canerent aut fabulas docerent, omnes paribus aucti honoribus post ferias discedebant. Vere autem certatum fuit in aliis ludis, quos iisdem temporibus ortos esse licet suspicari : ex titulis apparet maxime floruisse ante Romanam ætatem Amphiaraia Oropi [5], Musæa Thespiis [6], Charitesia et Homoloia Orchomeni [7]. Posterius, ante Augustum tamen, eadem ratione agones Acræphiæ [8], alii in honorem Musarum et Herculis apud Chios [9] commissi sunt. Ex illis exemplis perspici potest qualia post Alexandrum poetarum certamina fuerint.

[1] Plut. *Vit. Alex.* 29. *De Alexandri fortuna aut virtute* 2 Arrian. *Exped. Alex.* VIII. 7. — Patin l. c. p. 120. 121.

[2] Theocr. *Idyll.* XVII-112. Plin. *Hist. Nat.* V. 30. — Alciphr. *Epist.* I: v. 5. — Vitruve. VII *præfat.* Patin l. c. p. 118-119.

[3] Koumanoudis *Inscriptiones ineditæ*. 75.

[4] Foucart et Wescher. *Inscriptions recueillies à Delphes* nos 3. 4. 5. 6. — Foucart *Mémoire sur les ruines et l'histoire de Delphes, seconde partie* chap. VI. — Id. *De collegiis artificum scenicorum apud Græcos* p. 61 et seq.

[5] Rangabé. *Ant. hellén.* 965.

[6] Decharme. *Recueil d'inscriptions inédites de Béotie* n° 26.

[7] C. I. G. 1584. — Le Bas. *Voyage en As. Min.* 3e part. 621-623.

[8] C. I. G. 1587.

[9] C. I. G. 2214.

Primus in titulis inscriptus est epicus poeta [1], qui poetæ nomine non raro nude designatur [2]. Ab epico autem carmine discernenda epica laudatio (ἐγκώμιον ἐπικόν), cui in Amphiariis Oropi suum præmium est [3]. Carmine enim heroum quorumlibet facta, laudatione is heros aut deus rite celebrabatur cujus in honorem fiebant ludi ; sic in Eubœa laudatio in Apollinem omnium certaminum princeps erat [4] ; pro antiquissimis hujus generis exemplis habendos hymnos qui dicuntur Homerici, monente Foucarto, supra rettulimus [5]. Carmen et laudatio pariter hexametris versibus conscribebantur. Lyricorum nomina rarius in titulis inveniuntur. Duos προσοδίων auctores qui ante subactam a Romanis Græciam vixerunt [6], solos proferre est. Quæ videtur fuisse « hymni species ad tibiam cani solita, cum templis aut aris accedebant [7]. » Dithyrambicus poeta unus carmine, quod inscriptum erat *Proserpina*, apud Teios in ludis Attalicis, sive in honorem Attali II (157-137) institutis, palmam tulit [8]. Tragicorum et comicorum veterum fabulæ sæpissime repetitæ ; nam in multis titulis actores soli memorantur ; Delphicis tabulis viginti greges tragici et comici inscripti sunt, eo semper servato ordine, ut in grege quoque tibicinis primum, deinde didascali, postremo trium actorum nomina citentur ; poetarum nulla mentio est, neque ullo vel inter actores posito certamine ludos editos videmus [9]. In aliis autem, qualia tertio ante Christum sæculo Oropi Amphiaraia, Orchomeni Charitesia fuere, novis tragœdiis, comœdiis, satyris certaturi poetæ comparent, inter quos Sophocles, Sophoclis Atheniensis, præclari vatis, e gente ortus [10]. E fabulis, quæ in eum ipsum usum compositæ sunt, laudatur Anaxionis cujusdam Mitylenæi, apud Teios coronati, satyrus,

[1] Decharme 26 l. 15. — Keil *Zur Sylloge Inscr. bœot.* 21. Le Bas. 3e part. 622.
[2] Le Bas l. c. 621, 623.
[3] Rangabé, 965, lin. 9 et 13.
[4] Ἐφημέρις ἀρχαιολογική nov. ser. 412.
[5] V. supra p. 3.
[6] Decharme lin 9. — *Inscr. inéd. de Delphes.* V. lin 13.
[7] Foucart *Scen. Artif.* p. 68.
[8] Le Bas Waddingt. *Inscr. d'As. Min.* 93. Cf. 88.
[9] Foucart et Wescher. l. c.
[10] Foucart *Scen. Artif.* p. 70 n. 8 ad 12.

cui *Persæ* titulus erat [1]. Itaque nullum carminum genus post Alexandrum desiit in certaminibus coli.

Circa Isocratis ætatem oratorum quoque certamina instituta sunt [2]. Quod apud Athenienses primum videtur incepisse. Ille enim in *Panegyrica oratione* [3], cum queratur in Olympiis tot et tanta præmia athletis proposita esse, nulla autem iis, quorum prudentiæ et consiliis omnes fruantur, scilicet oratoribus, Athenienses laudat, quod sint apud eos non tantum celeritatis et roboris, sed etiam eloquentiæ et omnium quæ mens humana pariat certamina, quibus qui vicerint maximis præmiis ornentur [4]. In ludis ab Artemisia editis Theopompus, Theodectus et Naucrites non carminibus tantum, sed prosa quoque oratione de coronis contenderunt : « Sunt etiam, ait Gellius [5], qui Isocratem ipsum cum iis certavisse memoriæ mandaverint. Sed vicisse Theopompum judicatum est ; is fuit Isocratis discipulus. » Theodectum autem in tragœdia sua quæ inscribebatur *Mausolus* [6] magis quam in prosa placuisse Hyginus in *Exemplis* rettulit. Aristoteles in *Rhetorica* [7], cum ostendere velit quantum possit actio oratoria, eos animadvertit qui bene illa utantur fere solere ex certaminibus præmia reportare. Demonstrativi unice generis fuisse illas orationes per se patet, ut quas recitaverunt in Olympiis rhetores et sophistæ post Gorgiam Leontinum Hippias Eleus, Prodicus Ceius, Anaximenes Lampsacenus, Polus Agrigentinus, Lysias Atheniensis aliique [8] ; quanquam Olympiæ oratorum nunquam certamina sed tantum ἐπιδείξεις factæ esse videntur [9].

Ut mos ille latius pervasit pluraque præmia pluribus scriptorum generibus posita sunt, ita laus vincendi multo minor et qui eam competebant ingenio inferiores prioribus fuerunt.

[1] Le Bas Waddingt. *Inscr. d'As. Min.* 91.
[2] Du Resnel p. 347.
[3] Anno ante Christum 380.
[4] § 12.
[5] L. c.
[6] V. supra p. 27 n. 7.
[7] III. 1.
[8] Krause. *Olympia* § 19.
[9] Krause l. c.

Accidit enim ut artes poetica et oratoria, ad mercedem paulatim adductæ, in meritoria artificia prope desciscerent, et qui eas colebant lucrum magis quam honores venarentur. Poetæ, minoris quam actores jam æstimati[1], una cum iis societatem inierunt, sane ut alieni quæstus participes essent potius quam ut sui alios facerent. Dionysiacis artificibus, qui Alexandri tempore cœperunt per omnes gentes, quæ Græcam linguam intelligebant, peregrinari et sese agonibus immiscere[2], poetæ sese adjunxerunt[3], et sacerdotio etiam in illorum collegiis functi sunt. Vix dubium est quin eos ad externos populos sequerentur, victorias ipsi quoque petituri. Cogita quæ vita illorum poetarum fuerit cum Dionysiacis artificibus circum urbes concursantium. Qui divino spiritu potuissent afflari et vere nova invenire, cum juberentur certis diebus in certos ludos venire et venam suam huc illuc circumferre? Necesse erat nasci inde vulgarem aliquam et communem Musam, quæ viis brevioribus et compendiariis omnibus iis, a quibus acciretur, facile morem gereret; sic parati sunt poetis loci, unde materia canendi semper præsto esset, et argutiæ sententiarum et verborum versibus inserendæ. Conjicere etiam licet, quo tempore Plautus Terentiusque et ceteri apud Latinos fabulas Menandri aut Diphili contaminarent, tum quoque idem apud Græcos evenisse, et multa quæ nova[4] prædicarentur nihil aliud fuisse quam imitata. Quod manifestum facit hæc narratiuncula e Vitruvio[5] excerpta : Ptolemæus rex, cum Alexandriæ bibliothecam summa diligentia comparavisset, « non putavit id satis esse, nisi propagationibus in seminando curaret augendam. Itaque Musis et Apollini ludos dedicavit, et quemadmodum athletarum, sic communium scriptorum victoribus præmia et honores constituit. His ita institutis, cum ludi adessent, judices litterati, qui ea probarent, erant legendi. Rex, cum jam ex civitate sex lectos habuisset, nec tam cito septimum idoneum inveniret, rettulit ad eos, qui su-

[1] Arist. l. c.
[2] Foucart op. l.
[3] Ibid. p. 70.
[4] De novis fabulis quæ in titulis illius ætatis memorantur V. Foucart op. l. p. 72 seq.
[5] VII. *præfat.*

pra bibliothecam fuerant, et quæsiit, si quem novissent ad id expeditum. Tunc ei dixerunt, esse quemdam Aristophanem, qui summo studio summaque diligentia cotidie omnes libros ex ordine perlegeret. Itaque in conventu ludorum, cum secretæ sedes judicibus essent distributæ, cum ceteris Aristophanes citatus, quemadmodum fuerat locus ei designatus, sedit. Primo poetarum ordine ad certationem inducto, cum recitarentur scripta, populus cunctus significando monebat judices, quos probarent. Itaque, cum ab singulis sententiæ sunt rogatæ, sex una dixerunt, et, quem maxime animadverterunt multitudini placuisse, ei primum præmium, insequenti secundum tribuerunt. Aristophanes vero, cum ab eo sententia rogaretur, eum primum pronuntiari jussit qui minime populo placuisset. Cum autem rex et universi vehementer indignarentur, surrexit et rogando impetravit, ut paterentur se dicere. Itaque silentio facto docuit *unum ex his eum esse poetam, ceteros aliena recitavisse, oportere autem judicantes non furta, sed scripta probare.* Admirante populo et rege dubitante, fretus memoria e certis armariis infinita volumina eduxit, et ea cum recitatis conferendo coegit ipsos furatos de se confiteri. Itaque rex jussit cum his agi furti, condemnatosque cum ignominia dimisit : Aristophanem vero amplisssimis muneribus ornavit, et supra bibliothecam constituit. » Rem veram esse dubitaverunt quidem critici[1], et eam ipsi, qualis a Vitruvio narrata est, talem accidisse non asseveramus. Videntur illa tamen, etiam si ficta sunt, apte exserere, quo carmina in illis certaminibus recitata decidissent. Ex illa ingenti novorum operum multitudine, quæ tum coram judicibus litteratis, ut ait Vitruvius, delata sunt, nullum, fragmentis aliquot exceptis[2], ætas nobis non invidit, profecto quia pleraque non digna visa sunt, quæ scriptis mandarentur, aut, si semel mandata sunt, quæ iterum describerentur, quippe quæ nimis multa prioribus surripuissent.

Alteram causam, cur corrumperentur auctorum certamina

[1] Heyne. *Opusc. Academ.* I p. 98. — Matter. *Hist. de l'Ecole d'Alexandrie* T. I p. 156. Egger. *Essai sur la Critique chez les Grecs*, p. 5 not. 2.

[2] *Trag. Græc. fragm.* p. 153. 157. Patin . c. p. 118. 119.

in se ipsa habebant. Non desunt enim qui contendant hebetari magis quam acui per illa facultates, quod, omnibus viribus in spem victoriæ intentæ, non quod optimum sit, sed quod placeat, sectari debeant, unde oriatur ars quædam putida et umbratilis, quæ eam proprietatem, qua quemque natura signaverit, aboleat, suam autem notam imprimat omnibus eamdem. Quod ne fieret, periculum non fuit, cum florida illa Græciæ novitas tantum proventum attulit virorum in uno quoque studiorum genere excellentium ; qui multitudinis judicium informabant, non sequebantur. Sed cum inaruerunt liberalium artium fontes, populo ludos nihilominus poscente, multi exstiterunt, qui communia affectato stylo tractabant et accuratissima diligentia recitabant. Tum laus omnis non in argumento et sententiis, sed in actione et elocutione posita : « Oratores, qui bene actione utuntur, ait Aristoteles, ii fere solent ex certaminibus præmia reportare, *quemadmodum ibi etiam plus hoc tempore valent histriones quam poetæ*[1]. »

Postremo, eversa libertate, a regibus judices auctorum creati sunt et quæ Athenienses instituerant, ut ira et studium ab illis judiciis abessent, evanuerunt. Sic a Ptolemæo lectos esse septem viros carminibus æstimandis memorat Vitruvius; quos quidem ille sumpsit inter eos, qui maxime sapere putabantur, et ex eodem exemplo apparet morem fuisse uti multitudinis opinio in dicenda sententia respiceretur. Attamen, quod dominus laudaverat, quis rejicere, quod rejecerat, quis laudare ausus esset ? Hoc fecit Aristophanes Alexandrinus ; quis autem eum sub superbo rege imitatus esset? Menander in illa epistola, quam Glyceræ suæ scripsisse apud Alciphronem fingitur, nuntiaturus se, Ptolemæo rogante ut Alexandriam veniret, recusavisse, hanc causam affert, quod libertatem et æquos judices ibi invenire non posset[2]. Poetas, qui in Musæo Lagidarum alebantur, Timo Sillographus vocabat aves in aviario inclusas[3]. Liberas aves, quæ canerent quod videretur, aliæ etiam Græcorum civitates jam in suis certaminibus fere nunquam audiverunt.

[1] *Rhet.* III. I.
[2] V. Alciphronis *epistolas.*
[3] *Trag. Græc. fragm.*

IV

DE POETARUM CERTAMINIBUS APUD ROMANOS ANTE AUGUSTUM

Poetas in ludis publicis committere in Magna Græcia Platonis ætate usitatum fuit, et ea lex ibi etiamtum manebat, ut multitudo, quid de quoque sentiret, manibus sublatis declararet[1]. Apud Siculos jam post Æschylum præmia iis posita fuerant, qui optimas fabulas componerent docerentque[2]; in ipsa autem Italia adeo increbruit illorum honorum studium ut fuerint qui coronas non domi tantum[3], sed foris etiam peterent et mererentur: nam in Amphiaraiis Oropi tertio sæculo fertur vicisse epico carmine Agathocles quidam, Theodosii filius, Neapolitanus[4].

Jure igitur quæri potest an Romani, qui tot Græcorum ritus jam ante Punica bella adsciverant, litteratorum quoque agonas in Urbe institutos habuerint, cum Plautus, Ennius, Pacuvius ceterique prope omnia carminum genera a Græcis inventa apud cives suos cœperunt approbare; vicerintne illi inter multos earumdem artium peritos, quorum nomina oblivio interceperit, an scenicos et epicos versus, ut primi,

[1] *Leg.* II p. 659.
[2] V. supra p. 27 n. 3.
[3] De agonibus Neapolitanis ante Augustum v. Strab. V. iv. 246, Plutarch. *Brut.* 51.
[4] Rangabé *Ant. Hellén.* nº 965 l. 13.

ita suis temporibus soli, coram populo recitandos fecerint. Nonnihil refert ea discutere, quanquam, utcumque quæstionem solvere oportebit, nihil de poetarum illorum laude detrahi posse videtur: nam, si sine æmulis placuerunt, tanto magis mirandum est, quod tam absoluta opera scripserint, cum caruerint iis incitamentis, quæ Græcos stimulaverant.

Certavisse Romanos poetas Plauto et Terentio æquales [1] opinatus est Ritschelius. In prologo enim *Casinæ* [2] ea leguntur:

Hæc, [3] cum primum acta'st, vicit omnes fabulas.

Quod quidem ad probandum multum posse, ut voluerant alii [4], non asserit Ritschelius, eo quod Plautini prologi sunt fabulis ætate multo inferiores [5]. Pluris facit ea quæ dicuntur a servo quodam in *Trinummo* [6]:

Euge, euge, Lysiteles, πάλιν.
Facile palmam habes! hic victust: vicit tua comœdia.
Hic agit magis ex argumento et versus meliores facit.

Addi etiam, ut videtur, verba Terentii possunt, veteri malevolo poetæ in prologo *Phormionis* [7] respondentis:

in medio omnibus
Palmam esse positam, qui artem tractant musicam.

Quod collegerat ex his Ritschelius, verum esse Mommsenius negavit multis argumentis fretus. Animadvertit enim (et illud quidem gravissimum nobis videri fatemur) ne unam quidem victoriam poetarum in didascaliis Terentianis commemorari;

[1] De hac quæstione V. Fr. Ritschelius *Parergon Plautinorum Terentianorumque* Vol. I pag. 229 et seq. — Mommsen *Roemische Geschichte* I. 885 II. 442. — Otto Ribbeck. *Die roemische Tragœdie im Zeitalter der Republik* p. 670 not. 125. — Marquardt. *Roemische Staatsverwaltung. Dritter Band* pag. 521.

[2] V. 17. Fabula acta est inter annos 200 et 186 a. Chr. Teuffel *Geschichte der Roemischen Litteratur*. 97. 6.

[3] Fabula.

[4] Grysar. *Ueber den Zustand der Roemischen Bühne im Zeitalter des Ciceros* p. 348.

[5] Teuffel 99. 1.

[6] V. 705. Fabula acta est non ante annum 194. Teuffel 97. 19.

[7] V. 16. Acta anno 161. Teuffel 110. 4.

quod jure miretur qui reputaverit summa diligentia rettulisse grammaticos, quibus ludis, quibus gregum dominis, quibus consulibus quæque fabula acta sit. Loci e Plautinis prologis excerpti [1] nihil juvant, quoniam multo post Plautum scripti sunt; et quod in *Casinæ* prologo dicitur, hac fabula, cum primum spectata sit, omnes victas esse, id ita interpretari oportet, non vero justoque certamine poetas inter se coram populo contendisse, sed auditores *Casinæ*, cum ea maxime delectati essent, maxime applausisse, et unicum auctori præmium fuisse ut multitudinis favorem sibi conciliaret. Terentius etiam in *Phormione*, cum in medio omnibus palmam esse positam scripsit, nihil aliud nisi figurate significavit, omnibus licere ut quam optimam sui existimationem auditoribus facere studerent. *Trinummi* demum versus, quibus in primis confidebat Ritschelius, quia clariores videbantur, Mommsenius non dubitat quin de Græco Philæmonis ad verbum conversi sint et nihil inde sumi ad leges latini theatri cognoscendas possit. Itaque pro certo habendum est, præclaram illam spem publicorum honorum, quæ ingeniis Atticorum poetarum tot stimulos subdiderat, principibus Romanæ scenæ defecisse; quod cum iis, quæ de sorte et vita Plauti Terentiique et ceterorum tradita sunt, plane congruit.

Non sequitur tamen nullam contentionem inter poetas scenicos tum exstitisse; accidere enim poterat ut plures simul emendas fabulas ædilibus proponerent et de ferendo pretio certarent. Quis judicaret ex eorum operibus quod optimum esset, non constat. Omnibus quidem compertum quod narrat Suetonius, Terentium primam *Andriam*, cum ædilibus daret, jussum esse ante Cæcilio recitare [2]. Unde multi conjecerunt [3] Cæcilium fuisse omnium fabularum, quæ illis magis-

[1] Præter versum *Casinæ* quem exscripsimus, alii afferuntur ex prologis *Amphitryonis* (69) et *Pœnuli* (36), qui non modo non a Plauto facti sunt, verum etiam non ad poetarum, sed ad artificum scenicorum certamina, ut recte notavit Ritschelius, pertinent : quamobrem eos citare a proposito nostro omnino alienum arbitrati sumus.

[2] Suet. *Vita Terentii* 2.

[3] Grysar op. cit. p. 359. — Osann *Analecta Critica* p. 143. — Becker. *De Romanorum censura scenica*. — Patin. *Etudes sur la poésie latine* t. II p. 261 : « Cécilius était investi alors, à ce qu'il semble, d'une sorte de juridiction littéraire sur les ouvrages dramatiques. » Teuffel 106. 2.

tratibus deferebantur, judicem rite constitutum. Ritschelius[1] contra eum nonnisi semel et privatim in consilium adhibitum esse putat. Utram sequamur opinionem, hæremus, et multi hærere jure possint, cum, præter Suetonii verba, nihil omnino de ea re apud auctores reperiatur. Verum minus abhorremus a sententia eorum, quibus ille videtur publica certaque provincia functus esse : exemplo enim esse potest Sp. Mæcius Tarpa, de quo infra agetur[2].

Vere certare de præmio Romani poetæ anno demum 145 profecto cœperunt[3], cum L. Mummius, possessa Achaia Asiaque, in triumpho suo ludos curatius edidit[4]. Nam postea de palmis poetarum apud auctores neque rara neque ambigua mentio occurrit. Anno 44, cum *Tereus* Accii in ludis Apollinaribus repositus esset, et multos versus, quorum sensus ad absentem Brutum et amicos detorqueri poterat, populus ingenti plausu excepisset, exclamabat Cicero in Antonium invectus : « O beatos illos, qui, cum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, et in medullis populi romani ac visceribus hærebant ! nisi forte Accio tum plaudi et sexagesimo post anno *palmam dari* putatis, non Bruto[5]. » Horatius quoque, quam arduum sit comicum genus, demonstrans :

Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat.
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit aut reficit. Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum[6].

De mimorum auctoribus hoc accepimus : « Publilius Syrus, cum mimos componeret ingentique adsensu in Italiæ oppidis agere cœpisset, productus Romæ per Cæsaris ludos (45 a. Chr.) omnes, qui tunc scripta et operas suas in scenam locaverant, provocavit ut singuli secum posita invicem materia

[1] op. laud. p. 329.
[2] p. 38.
[3] Conjecit Mommsenius II. 442.
[4] Tac. *Ann.* XIV. 21.
[5] *Phil.* I. 15.
[6] *Epist.* II. I. 177-181.

pro tempore contenderent, nec ullo recusante superavit omnes, in quis et Laberium. Unde Cæsar arridens hoc modo pronuntiavit :

Favente tibi me, victus es, Laberi, a Syro ;

statimque Publilio *palmam* et Laberio anulum aureum cum quingentis sestertiis dedit. Tunc Publilius ad Laberium recedentem ait : « Quicum *contendisti scriptor* hunc spectator subleva. » Sed et Laberius sequenti statim *commissione*, mimo novo interjecit hos versus :

Non possunt primi esse omnes in tempore.
Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Consistes ægre, et cum descendas, decides.
Cecidi ego : cadet qui sequitur. Laus est publica[1]. »

Illa Ribbeckius parum magno esse argumento arbitratur, quod Publilius, cum mimos suos ipse et scriberet et ageret, non ut scriptor sed ut actor palmam tulerit. Quod nullo pacto probamus ; disertissime enim indicat ipse Publilius se « *contendisse scriptorem.* » Præterea Ciceronem et Horatium de palma poetarum, non histrionum, loqui per se patet.

Quomodo et a quibus judicibus præmium daretur, ægre animo nobis fingimus. Veri tamen simillimum habemus, illa certamina, qualia a Græcis instituta fuerant, talia propemodum, quanquam multo minore apparatu, accepta a Romanis esse. Ædiles enim, quas apud Athenienses archon, easdem fere partes videntur peregisse, scilicet ut ex fabulis, quæ proponebantur, eas eligerent, quæ certare possent, nisi quod suo ipsi judicio multo minus quam archontes confidebant, ut litterarum multo magis imprudentes. Quod impleverat Cæcilius Terentii temporibus officium, idem sub fine liberæ rei publicæ implevit apud ædiles Sp. Mæcius Tarpa. Huic, cum Pompeius anno 56 ludos ederet, mandata est fabularum judicandarum cura[2]; Ciceronem vero parum delectabant quæ probaverat.

[1] Macrob. *Sat.* II. vii. 13. Alia documenta (Ovid. *Fast.* V. 189 et *Trist.* II. 507), a Friedlaendero apud Marquardtium (l. c. not. 6) adducta, scientes prudentesque omittimus, quorum alterum ambiguum sit, alterum ad histrionum certamina manifesto pertineat.

[2] Cic. *Epist. ad fam.* VII. i.

Pluris quam Cicero illius acumen faciebat Augustus, cui, commutato rei publicæ statu, suos honores conservaverit; ideo eum placuisse, quod imperiis Augusti, ut prius Pompeii, obsequenter parebat et censoris supercilio ea repellebat, quæ libertatem redolebant, concedimus. Necesse est tamen illum exquisitiore judicio usum esse litterarum ; Horatius enim Pisones hortatur, si quid olim scripserint, id « in Mæci descendat judicis aures[1]. » Quid honestius quam illam laudem ab illo viro tulisse ? Carmina igitur, quæ fuerant ad scenam composita, in æde Musarum prius sonabant « certantia judice Tarpa[2] », quibusdam aliis profecto ei assidentibus. Deinde pauciora, quæ probaverat, a populo spectabantur. Quis autem poetarum palma dignus videretur, omnium clamor et consensus decernebat ; nam proprios ad hoc munus, tanquam Athenis, judices fuisse, nemo est inter veteres qui tradiderit.

Ex his apparet ante Augustum scenicorum modo poetarum certamina apud Romanos publice commissa esse, et eum ipsum usum neque invaluisse ante Gracchorum tempora, neque in illo intervallo a Senatu Populoque eo favore fuisse exceptum, quo etiamtum apud Græcos florebat. Ut poetis omnibus oratoribusque præmia publice pararentur, effecerunt maxime recitationes, quæ vergente libertate adscitæ sunt in civitatem, et litteratorum collegia, quæ multo ante nata erant. Anno 207 a. Chr. « cum Livius Andronicus scripsisset carmen, quod a virginibus est cantatum, quia prosperius res publica populi romani geri cœpta est, publice adtributa est ei in Aventino ædis Minervæ, in qua liceret scribis histrionibusque consistere, ac dona ponere, in honorem Livi, quia is et scribebat fabulas et agebat[3]. » Inde orto, ut videtur, poetarum collegio, privatim et certamina et præmia posita sunt iis qui optima carmina conderent : « Poeta Accius C. Julio Cæsari (Straboni, oratori et tragœdiarum ipsi quoque scriptori[4],) amplissimo et florentissimo viro, in *conlegium poetarum* ve-

[1] *Art. Poet.* 387.
[2] *Sat.* I. x. 38. V. Porphyrionis et ceterorum Schol. ad h. l.
[3] Fest. p. 333 M. Teuffel 94. 7.
[4] Anno 87 interempti. Teuffel 153. 3.

nienti, nunquam adsurrexit, non majestatis ejus immemor, sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto se superiorem esse confideret. Quapropter insolentiæ crimine caruit, quia ibi *voluminum*, non imaginum, *certamina* exercebantur [1]. » Sub ipsis Augusti temporibus illa collegia plura fieri cœperunt : unius eorum profecto participes erant juvenes illi, quos jam princeps Augustus anno a. Chr. 20 in Orientem cum Tiberio misit, ut Tigranem in Armeniæ regnum ei datum deducerent [2] : Titius, qui « Pindarici fontis », teste Horatio, « non expalluit haustus [3], » et Albinovanus Celsus, « monitus, multumque monendus — Privatas ut quærat opes, et tangere vitet — Scripta, Palatinus quæcumque recepit Apollo [4], » et Julius Florus, causidicus et satirarum scriptor [5], cui amicus Horatius hæc scripsit :

Seu linguam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen,
Prima feres hederæ victricis præmia [6].

[1] Val. Max. III. vii. 11. Teuffel 134. 2.
[2] Horat. *Epist.* I. iii cum Schol.
[3] Ibid. v. 10. Teuffel 242. 4.
[4] Ibid. v. 15. Teuffel 242. 5.
[5] Teuffel 28. 4 ex Porphyrione ad h. Horat. *Epist.*
[6] V. 23.

V

DE POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS APUD GRÆCOS POST AUGUSTUM

Quod Euripides et Isocrates olim querebantur, multo minores honores scriptoribus omnium generum quam athletis apud Græcos propositos esse, id in locum communem postea abiit. Nam Vitruvius in una præfationum illarum[1], quibus sapientiam suam verbosiore oratione ostentat[2] : « Nobilibus athletis, inquit, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam, cum revertantur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur. Cum ergo id animadvertam, admiror, quid ita non scriptoribus iidem honores etiamque majores sint tributi, qui infinitas utilitates ævo perpetuo omnibus gentibus præstant. Id enim magis erat institui dignum, quod athletæ sua corpora exercitationibus efficiunt fortiora, scriptores non solum suos sensus sed etiam omnium animos exacuendo libris ad discendum præparant præcepta. Quid enim Milo Crotoniates, quod fuit invictus, prodest hominibus ? aut ceteri qui eo genere

[1] *Præf.* lib. IX.
[2] Teuffel 264. 2.

fuerunt victores? nisi quod, dum vixerunt ipsi, inter suos cives habuerunt nobilitatem. Pythagoræ vero præcepta, Democriti, Platonis, Aristotelis, ceterorumque sapientum cotidiana, perpetuis industriis culta, non solum suis civibus, sed etiam omnibus gentibus recentes et floridos edunt fructus... Cum tanta munera ab scriptorum prudentia privatim publiceque fuerint hominibus præparata, non solum arbitror palmas et coronas his tribui oportere, sed etiam decerni triumphos et inter deorum sedes eos dedicandos judicari. »

Illa, quibus sine dubio omnes rhetorum scholæ personuerunt, non parum momenti addiderunt ad propaganda poetarum et oratorum certamina. Maximos Græcorum ludos, qui sacri dicebantur, ea in dies magis invaserunt. In Pythiis, quibus fere post hominum memoriam suum habuerant locum [1], ampliore apparatu celebrata sunt: adjuncta enim sub Cæsaribus, ut videtur, tragœdia et eloquentia et multa alia genera acroamatum [2]. Sosiclis Coronensis, Plutarcho æqualis, qui omnes poetas [3] ibi superaverat [4], et Juliani Smyrnæi, qui oratores [5], nomina exstant; quemdam Onetora per titulum novimus, cui suam ob facundiam mala, suetum in illis ludis præmium [6], tanquam athletæ data sunt. Nemea quoque idem feliciter attigerat [7]. In Isthmiis palmam eloquentiæ tulit Herodis sophistæ discipulus [8], neque ibidem tum defuerunt qui carminibus inter se contenderent [9]. In Olympiis autem nudæ recitationes sine certaminibus usquequaque habitæ sunt [10]. E sacris agonibus mos ille in antiquos urbium ludos cessit: Diasiis Athe-

[1] V. supra p. 3 et 7.

[2] Plutarch. *Sympos.* V. 2. Philost. *Vit. Soph.* II. 27. 2 et *Vit. Apollon.* VI. 10. Krause. *Pythien* p. 27 not. 9 et 10.

[3] Epicos profecto, ποιητὰς νενικηκότα.

[4] Plutarch. *Sympos.* II. 4. Krause l. c. p. 28 not. 12. *Verzeichniss der Sieger* v. *Sosicles.* Adde anonymum quemdam, qui videtur ibidem victus esse *Anthol. Græca* XI. 129 vers. 3.

[5] Foucart et Wescher *Inscriptions recueillies à Delphes* 469.

[6] K. Fr. Hermann *Lehrbuch. Gottesdienst.* § 50.29.

[7] Kaibel *Epigrammata Græca* 932, aut melius *Corpus Inscriptionum Atticarum* vol. III Pars I n. 116 et 117.

[8] Plut. *Sympos.* VIII. 4. Adde Æl. Aristid. *Orat. in Neptunum* et Massoni *Collectanea Historica.* T. III p. CXLI-CXLII.

[9] *Anthol. Græca* l. c. vers. 1.

[10] Krause *Olympia* § 19 et *Verzeichniss der Sieger* s. v. *Xenocles.*

niensibus, quæ vivo etiam Thucydide [1] quotannis in honorem Jovis Milichii fiebant [2], additæ sunt post Augustum litteratorum commissiones. Spicea corona, oratoribus ibi proposita, dignati sunt judices Luciani temporibus Androclem, Epicharis filium, cui æmulus fuerat Diotimus Megarensis [3]. Immo ex novis ludis, quos Romani Athenis instituerunt, haud scimus an ulli fuerint, quibus cives et advenæ non carminibus prosaque oratione inter se contenderint. In titulis maxime epheborum, secundo sæculo exaratis, multorum nomina, qui in illis exercitationibus vicerant, invenimus. Ita certatum est illa ætate in Germanicianis [4], in Antinoeis in Urbe [5], in Antinoeis Eleusiniis [6], in Hadrianalibus [7], in Philadelphiis [8], in Athenæis [9]; annumeranda sunt profecto Commodiana, Epinicia et ex veteribus festis Theseia [10]. Ephebi in publicis litteratorum certaminibus eodem anno septies auditi sunt [11]; quid, si reputaveris sua illis præmia fuisse ab iis secernenda, quæ ceteris civibus ponebantur [12]? Quid, si addideris titulos de multis ludis tacere, præsertim veteribus, ut de Diasiis [13], quibus, quanquam aberant ephebi, certabatur? Quantum flumen eloquentiæ, dii boni, sæculum illud profudit! quot discipulos Homeri et Isocratis attulit! Athenarum enim exemplum plurimæ civitates secutæ sunt: in Bœotia, ne de Musæis Thespiensibus loquamur, quæ ex antiqua consuetudine [14] poetis et oratoribus suos honores sub Severo etiam tuebantur [15], eadem instituerunt Thebæ [16],

[1] I. 126.
[2] K. Fr. Hermann. *Lehrbuch. Gottesdienst.* § 58. 23 et 24.
[3] Lucian. *Charidem.* 1 et 3.
[4] *C. I. Att.* T. III Pars I. n. 1096. 1529.
[5] Ibid. n. 1129. 1147.
[6] Ibid. n. 1129. 1137. et sine dubio etiam n. 116 vers. 6. V. Dittenberger ad h. l.
[7] Ibid. n. 1129. 1147.
[8] *C. I. Att.* l. c. n. 1148 et probabiliter etiam n. 1147.
[9] *C. I. Att.* l. c. n. 1148.
[10] *C. I. Att.* l. c. n. 1147, ubi erasa ludorum nomina hoc modo probabiliter admodum restituuntur. De festis illis omnibus v. Dumont *Ephébie attique* T. I p. 294 ad 303.
[11] *C. I. Att.* l. c. n. 1147.
[12] Hoc manifestum faciunt maxime C. I. *Att.* l. c. n. 116 et 1160.
[13] V. supra p. 42-43.
[14] V. supra p. 28 n. 6.
[15] *C. I. G.* 1585.
[16] *C. I. Att.* l. c. n. 116 vers. 3.

Lebadea [1], Platææ [2]; in Peloponneso Argos [3]; in Asia Aphrodisias Cariæ [4], Smyrna [5], Ephesus [6]. At, ne singula persequamur, prope nullæ exstiterunt tum apud Græcos feriæ, sive ex antiquis, sive ex novis, quæ illo genere oblectamenti carerent.

Quæ solerent in iis tractari, nos et auctores et tituli perspicue docent. Non omnia quidem studiorum genera in omnibus locum obtinuerunt; in plerisque earum, quas Athenis celebratas esse diximus, duo tantum, poema et prosa oratio, sed in aliis sæpe plures utriusque generis exercitationes, prout urbis magnitudo aut privatorum, qui pecuniam suppeditabant, liberalitas sinebat, admissæ sunt. Nulla fere defuit in celeberrimis, qualia videntur fuisse Musæa, quæ prope Thespias in luco Musarum Heliconiarum fiebant omni quinquennio [7]. Epico poetæ ubique præmium ponitur; quem græco sermone cecinisse manifestum est: Aphrodisiade autem Romano quoque poetæ, qui vicerit, certam pecuniam agonothetæ destinant [8]. Thespiis duo genera epicorum carminum recitanda sunt: alterum in imperatorem, alterum in Musas [9]. Inter lyricos memorantur soli *prosodiorum* auctores [10]; ex scenicis autem nullus deficit: novæ tragœdiæ et comœdiæ ad judicium deferuntur, immo etiam (quis credat?) satyri [11]. In titulo, qui in theatro Dionysi Athenis nuper erutus est [12], ea leguntur; « Senatus Areopagi et Senatus Sexcentorum Popu-

[1] Ibid.
[2] Ibid. vers. 4 et n. 1160 lin. 36-39.
[3] Ibid. n. 116 vers. 5.
[4] *C. I. G.* 2758. — Le Bas et Waddington *As. Min.* 1620 c. et *C. I. G.* 2759. — Le Bas et Waddington ibid. 1620 d.
[5] Ibi poetas certavisse testatur Ælius Aristides (Ἱερ. λόγ. I p. 495) quod fiebat profecto in Olympiis (Krause *Olympien* p. 224 et seq.) et in Odeo, ubi oratores quoque committebantur (Æl. Arist. Ἱερ. λόγ. V. p. 630).
[6] Ibi coronæ teste eodem Aristide (Ἱερ. λόγ. V. p. 638) oratoribus dabantur, scilicet in Olympiis (Krause *Olympien* p. 216.)
[7] *C. I. G.* 1585.
[8] *C. I. G.* 2758. — Le Bas et Waddington l. c. 1520 c.
[9] *C. I. G.* 1580.
[10] Ibid.
[11] Ibid.
[12] *C. I. Att.* l. c. n. 769.

iusque Quinto Pompeio, Quinti filio, Collina (tribu,) Capitoni, poetæ Pergameno et Atheniensi... qui omni metro et rhythmo eximiam in componendis versibus facultatem exhibuit subitariis recitationibus, (statuam posuerunt) et quod in arte sua inter omnes excellit et ob vitæ dignitatem. » Ex his, quæ sub Hadriani tempora scripta sunt[1], satis apparet quantopere delectarentur Athenienses illos poetas audiendo, et quos honores ferrent, qui ceteris præstare judicabantur.

Prosæ orationis unum genus fuit *ἐγκώμιον*, sive laudatio. In Eleutheriis Platæeis plura ephehorum Atticorum paria dialogos recitabant in honorem majorum et Cæsaris compositos, sed nullo facto certamine omnes pariter præmiis ornati discedebant[2]. Plerumque autem ea lex servata est, ut orator quisque unam laudationem afferret scriptam et recitaret[3]. Argumentum ut sibi ipse caperet, aliquando licebat, et æmuli, cum alius aliud tractavissent, tamen inter se contendebant et conferebantur ; in Diasiis Atheniensibus Androcles, Epicharis filius, laudatione Herculis superavit Diotimum Megarensem, qui laudationem Castorum recitaverat[4]. Verum sæpius perpetua materia indicebatur laudatio illius numinis, cujus in honorem ludi edebantur, ut Musarum in Musæis Thespiensibus[5]. Præterea simili officio Cæsar colebatur[6]. Præcepta ad componendas illas orationes ordine tradiderunt latine Quintilianus[7], græcos sine dubio rhetores secutus, et græce in uno libello Menander, quem sub finem sæculi tertii vixisse suspicantur[8]. Specimina autem apud Ælium Aristidem habes. In tria genera dividebantur *ἐγκώμια* : laudabantur enim dii, homines, urbes. Congruunt in hoc cum auctoribus tituli, nisi quod urbium *ἐγκώμια* nulla memorant, fortuito tamen, ut putamus. Deorum laudationes vere hymni erant soluta oratione conscripti, ut

1 Dumont. *Ephébie attique Inscr.* n. CXXIV. 2°.
2 *C. I. Att.* l. c. n. 1160 lin. 36-39 Dumont op. cit. t. I p. 245.
3 Lucian. *Charidem.* l. c. Plutarch. *Sympos.* VIII. iv. 2. *Apophthegmata Laconica. Antalcidæ* 5.
4 Ibid.
5 *C. I. G.* 1585.
6 Ibid.
7 *Inst. Orat.* III. vii.
8 Μενάνδρου ῥήτορος πρὸς Γενέθλιον διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν in *Rhetor. Græc.* vol. III xxxv.

Aristides et Menander recte notaverunt[1]; quas in illa ætate superstitionibus in primis infecta sæpe auctores scribebant ex voto, aut ex monitu ipsius numinis inter somnium accepto[2]. Omnem rationem et formam operis Quintilianus his verbis breviter complexus est : « In diis generaliter primum majestatem ipsius eorum naturæ venerabimur ; deinde proprie vim cujusque, et inventa, quæ utile aliquid hominibus attulerunt... Tum si qua ab iis acta vetustas tradidit, commemoranda ; addunt etiam diis honorem parentes, ut si quis sit filius Jovis ; addit antiquitas, ut iis qui sunt ex Chao ; progenies quoque, ut Apollo ac Diana Latonæ. Laudandum in quibusdam, quod geniti immortales ; in quibusdam quod immortalitatem virtute sunt consecuti. » Si evolveris Aristidis orationes *in Jovem*, *in Minervam*, *in Bacchum*, *in Neptunum*, *in Serapim*, nihil invenies quod non in illam partitionem cadat. Quod ad hominum laudationes, ex publicis certaminibus fere unice exemplo sunt quæ in Cæsares recitabantur ; earum multo magis varia esse præcepta confessus Quintilianus partitionem tamen aliquam cursim facit ; quomodo tractarentur, plane apparet ex oratione Aristidis *in Imperatorem*, quem fuisse Antoninum constat[3]. Urbibus denique laudandis qui convenirent, locos recensuit Menander diligentia anxia ac pæne puerili, descriptis singillatim argumentis, quibus extolli possint portus, sinus, arces et civitatis cujusque vetustas, artes, res præclare gestæ ; quæ omnia profecto memoria, ut optimus quisque rhetorum discipulus, tenebat Aristides, cum suas composuit orationes *in Athenas* et *in Romam*. Oratorem, quem vicisse pronuntiaverant judices[4], athletarum rite donabatur palma et corona ; quam in Diasiis Atheniensibus spiceam fuisse diximus[5].

[1] Aristid. *Orat. in Jovem* (quam ipse vocat ὕμνον ἄνευ μέτρου), *in Serapidem*. — Menander p. 32.

[2] Lucian. *Charidem*. l. c. Aristid. *in Jovem*, *in Romam*.

[3] Anno 155 scripta. Waddington (W. H.) *Mémoire sur la chronologie de la vie du rhéteur Ælius Aristide*, p. 255-259.

[4] Aristid. *in Romam*, in fine : ἔξεστιν ἤδη φέρειν τὴν ψηφόν.

[5] Supra p. 43 n. 3 ex Lucian. *Charidem*. l. c. Cf. Plutarch. *Sympos*. VIII, 4. Aristid. *in Eteonea* p. 138 Ἱερ. λόγ. V. p. 632... etc... Plura de coronis oratorum et sophistarum illius ætatis collegit Cresollius in suo *Theatro Rhetorum* Lib. III cap. VI, quanquam certamina a recitationibus, et pri-

Poetas et oratores, qui in illis ludis audiebantur, nimium elevare non verum et justum esset; multis enim nihil aliud quam data occasio est in conventu frequentiore et inter sacrorum festivitatem experiendi coram amicis et propinquis quid in scholasticis studiis profecissent. Operam perdat, qui velit laudem iis detrahere, quam sibi partam ne ipsi quidem crediderunt, et elaboret in docendo, Demosthenes eos non fuisse, cum in aliquo provinciali municipio videri liberalius instituti unice cupiverint. Ephebos, qui Jovem bene laudaverant, præter parentes nemo ad maxima genitos esse animum inducebat. Certantium reliquos, qui ætate superiores erant, non multo pluris æstimatos esse tituli ostendunt. Prodierunt forte in lucem ex Aphrodisiensium urbe tabulæ duæ [1], quibus inscriptæ sunt pecuniæ a privatis in ludos, quos Commodo imperatore instituerant, cuique certaminum generi positæ: poetis minora præmia quam actoribus et cantoribus ibi erogata esse illis documentis cognoscimus. Ad scenicos [2] autem artifices illi usque sese adjungere perrexerunt et in eorum collegiis munia obire [3]; memoratur etiam quidam T. Claudius Alexander Laodicensis, qui inter Dionysiacos tragœdi et poetæ vices ætate Septimii Severi simul explevit [4]. Itaque parum auctoritatis apud Græcos illorum temporum litteratis, qui coronas in ludis petebant, videtur accessisse. Attamen multorum superbiam honores illi qualescumque pascebant Claudius ille Alexander appellatur poeta « incredibilis [5] », neque secus appellari se profecto voluerunt Onetor, qui tam magnificis verbis victorias suas enumeravit [6], et Q. Pompeius Capito, cui Athenienses statuam erexerunt [7]. At quam malum esset immodico studio nova litteratorum certamina undique institui, quam infensa sæpe æmulatio inter eos exerceretur,

vata certamina a publicis, et tempora inter se non satis distinxit. Conferatur Walchius. *Diatribe de præmiis veterum sophistarum, rhetorum et oratorum.*

[1] Supra p. 44 n. 4.

[2] Cf. quæ Aristoteles de poetis ætatis suæ tradidit, supra p. 33 n. 1.

[3] Le Bas et Waddington *As. Min.* 1619 (Ann. 127).

[4] *C. I. G.* 6829 (Ann. 198-210).

[5] Ibid.

[6] Supra p. 42 n. 7.

[7] Supra p. 44 n. 12.

quantum inde corrumperetur ludorum gravitas, ipsi Græci mire intellexerunt, ut fidem facit hæc Plutarchi narratio : « Cum Pythia celebrarentur, disputatum fuit (inter Plutarchum et amicos) de abolendis novis certaminibus. Nam cum ultra ea quæ tria erant antiquitus instituta certamina, tibicinis Pythici, citharistæ et citharœdi, admissus esset tragœdus, quasi porta aperta jam resisti non potuit confertim irrumpentibus omnis generis auditionibus (ἀκροάμασιν) *atque inde varietas quidem certamini non injucunda et festivitas parta est, severitas tamen et elegantia deminuta*, et cum multum molestiæ judicibus factum est, tum multæ, ut solet, multis victis, inimicitiæ. Non postremo loco censebant *logographorum* et poetarum gentem inde amoliendam ; neque quidem odio litterarum impulsi, sed quod ii longe omnium certantium nobilissimi pudorem incuterent molestiamque afferrent, cum omnes sciti elegantesque haberentur, neque tamen vincere universi possent. Vitio etiam illis certaminibus dabant *tanquam musico instrumento nervorum et vocum multitudinem*[1]. » His tam acute et vere dictis adversabatur Plutarchus et, arrepto illarum commissionum patrocinio, multa exempla ex antiquis libris sumpta afferebat, ut ostenderet eas fuisse in more positas institutoque priscæ etiam ætatis[2]. Sapiebant nihilominus amici, quibus, quanquam illa exempla ipsi noverant, videbantur periculum litteris facere qui modum in ea re a veteribus servatum excedebant. Sed prævaluerunt mores in deterius inclinati et imperatores iis, qui plura præmia censebant poetis et oratoribus ponenda esse, ipsi faverunt.

[1] *Sympos.* V. 2.
[2] V. supra p. 1.

VI

DE POETIS ET ORATORIBUS QUI IN AGONE NEAPOLITANO INDE AB AUGUSTI ÆTATE CERTAVERUNT[1]

Anno post Christum II quinquennale certamen Neapoli in honorem Augusti positum esse, calculis ex titulo Neapolitano subductis, recte edocuit Ignarra[2]. *Augustalia* ea sollemnia dicta sunt; eodem monumento insuper *Italica*, *Romana* vocantur atque etiam *Isolympia*, quo nomine fit manifestum, qui in iis vicerant, eos omnibus honoribus et privilegiis auctos esse, quæ in Olympiis tribuebantur, atque certaminum ordinem et naturam, quæ in maximo agone suo Græci instituerant, religiosissime servata esse. Inde quoque initium habuit nova computandorum annorum ratio, ita ut tempus, postea quam primum agon ille commissus est, in quinquennia divideretur, quorum quodque *Italis* aut *Olympias Italica* appellatum est. Posterius etiam, cum majora et clariora certamina in Urbe ipsa data sunt, id nomen Neapolitanis mansit, quamvis ea principem locum, quem in Italia initio habuerant, jam amisissent. Mense Augusto, ut Olympia[3], per

[1] De agone Neapolitano generaliter, et de athletis, qui in eo spectati sunt, singillatim disseruit Ignarra *De palæstra Neapolitana*. Id ipsum, quod de industria removit, ut a proposito suo alienum, hic, ut nostro plane congruens, arripimus.

[2] p. 148 et seq. *C. I. G.* 5805.

[3] V. Ignarra l. c.

plures dies celebrabantur, neque ulli eorum, quæ in Græcia habebantur amplissima, cedebant[1].

Anno XXVI, *Italide VII*, vicisse carminibus Papinium Statium rhetorem, patrem Publii poetæ, ex epicedio, quod in illum composuit filius[2], consequitur. Natus erat anno, ut videtur[3], XV. Ita autem de victoriis, quas Neapoli reportavit, Publius loquitur :

Atque ibi *dum profers annos vitamque salutas,*
Protinus ad patrii raperis certamina lustri
Vix implenda viris, laudum festinus et audax
Ingenii. Stupuit *primæva* ad carmina plebes
Eubœa et *natis* te monstravere parentes[4].

Facile ex verbis, quæ inclinatis litteris exscripsimus, intelligitur in classe puerorum (ἐν παίδων τάξει[5]) primum Papinium de palma contendisse, quod tentavisse pueros vel undecimum annum agentes manifesto exemplo infra ostendemus[6]; neque prius illa ætate quemquam prodire coram populo potuisse, ut in gymnicis agonibus, ita in musicis probabile est. Italide etiam VIII et sequentibus usque ad annum LXXX (Italida XX. III), quo mortuus esse creditur[7], sæpe inter ephebos virosque in Augustalibus vicit, ut prædicat filius :

Inde frequens pugnæ nulloque ingloria sacro
Vox tua : non totiens victorem Castora gyro
Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ[8],

qua comparatione videre est quam similia gymnicis musica certamina essent. Immo tradidit Statius patrem latinæ et græcæ poeseos præmia[9] non semel tulisse, his verbis Parthenopen allocutus :

[1] Strab. V. IV. 246.
[2] *Silv.* V. III.
[3] Teuffel 318. 3.
[4] L. c., vers. 133-137.
[5] V. epheborum atticorum titulos. Cf. supra p. 43.
[6] V. p. 72.
[7] Teuffel l. c.
[8] L. c. vers. 138-140.
[9] Cf. *C. I. G.* 27-50. — Le Bas et Waddington *As. Min.* 1620 c. V. supra p. 44 n. 8.

Ille tuis totiens pressit sua tempora sertis,
Cum stata laudato caneret quinquennia versu,
Ora supergressus Pylii senis oraque regis
Dulichii specieque comam subnexus utraque[1].

Cum ille *cecinisse quinquennia* feratur, non erret fortasse qui putet eum in conscribenda *laudatione* sive ἐγκωμίῳ æmulis præstitisse, quo deus, cujus in honorem ludi fiebant, rite celebrabatur[2]; quem in Augustalibus divum Augustum fuisse patet. Quemadmodum autem athletæ, ut ex titulis novimus, in patria vicisse non contenti, trans maria longinquos ludos petebant, ita Statius rhetor Pythia quoque et Nemea et Isthmia adiit; quod de felicitate musæ paternæ narrat Publius credas nihil aliud esse quam poeticam paraphrasin tituli alicujus in lapide inscripti, quo athletæ et musici cursum honorum suorum curabant posteris commendari[3] :

Sit pronum vicisse domi : quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc gramine Lernæ,
Nunc Athamanthea protectum tempora pinu?
Quin totiens lassata tamen nusquam avia frondes
Abstulit aut alium tetigit Victoria crinem[4].

His versibus pater non dicitur in Olympiis coronatus esse ; ex quo certo conficitur, quod jam notatum est, Olympiæ poetarum et oratorum fuisse ἐπιδείξεις sive recitationes, nullo facto inter eos certamine[5].

Haud scimus an cujusquam melius quam Papinii rhetoris exemplo existimari possit quod genus hominum musicis agonibus sese immiscuerit. Is, Velia[6] Lucaniæ, bonis sed non divitibus parentibus oriundus[7], a primis annis ita institutus est ut litteris domesticas facultates augeret. Ea autem maxi-

[1] Vers. 112-115.
[2] V. supra p. 29.
[3] Ex multis titulis v. maxime Neapolitanos *C. I. G.* 5804-5807 Cf. Kaibel *Epigramm. Græc.* n. 931. — *C. I. Att.* Vol. III Pars I n. 116. 117 et supra p. 42 n. 7.
[4] Vers. 141-145.
[5] V. supra p. 42 n. 10.
[6] Hoc nomen, quod interpretibus crucem attulit, quale Bährens ex doctorum Italorum conjecturis in codicibus noviciis eruit, tale excepimus.
[7] Vers. 116-120.

me agonum utilitas fuit, quod illi, quos incesserat ea cupiditas, habebant unde innotescerent. Illo enim tempore, cum nemini adhuc succurrerat, rhetores præceptoresque in unum ordinem, certis legibus constitutum et publice conductum, posse consociari, multum proderat adolescentibus, qui artem professoriam amplectebantur, in nobilitatem multis victoriis venire, quæ diplomatum vicem illis præbebant. Quare Papinius, relicto oppidulo suo, Neapolim se contulit, ubi lectissimus quisque adolescens litteris erudiebatur. Quantum inter ceteros eminuerit jam didicimus. Quid ex suis victoriis lucratus sit nunc videamus :

Hinc tibi vota patrum credi generosaque pubes
Te monitore regi moresque et facta priorum
Discere[1].

Nam, cum scholam Neapoli aperuisset, discipuli ex omnibus Lucaniæ et Campaniæ urbibus confluxerunt[2] audiendi magistri causa, qui tanto assensu et in Italia et in Græcia exceptus erat. Quibus ille poetas græcos soluta oratione interpretabatur, Homerum, Hesiodum Theocritumque et lyricos Pindarum, Ibycum, Alcmana, Stesichorum, Sappho, Callimachum, Lycophrona, Sophrona Corinnamque[3]. Mox, cum Romæ etiam nomen suum famæ inserere cœpisset, penates in eam urbem transtulit, ubi eum postea sequemur. Ne multa, in agonibus omnis Papiniorum fortuna incepit, et quia pater, ingenio fretus, e Velia sua ausus erat Neapolim in mediam lucem studiorum pergere et feliciter certaverat, id consecutus est, ut filio viam usque ad amicitiam Cæsaris aliquando patefaceret.

Anno XLII, *Italide XI*, « Claudius certaminibus interfuit ut agonotheta, in musicis pallium et crepidas, in gymnicis purpuream vestem et coronam auream gerens[4]. Comœdiam Græcam Germanici fratris tum quoque docuit, ac de sententia judicum coronavit[5]. » Unde colligendum est fabulam defuncti

[1] Vers. 146-148.
[2] Vers. 162-175.
[3] Vers. 148-162.
[4] D. Cass. LX. 6. Cf· Franz *C. I. G.* 5805.
[5] Suet. *Claud.* XI. De operibus Germanici v. Teuffel 275. 5 ad 11.

etiam auctoris potuisse deferri; immo suspicamur multas, quæ *novæ* in titulis[1] dicuntur eo nomine appellatas fuisse, non quia a poeta qui viveret, et ad tempus compositæ erant, sed quia nondum in eos ipsos ludos, de quibus agitur, inductæ.

Inter annum LVIII (*Italida XV*) *et annum* LXXVIII (*Italida XX*), Statium poetam coronatum esse persuasum habemus. Putant enim eum anno XLV, aut non multò posterius, natum esse[2]. Quapropter primum in Augustalibus audiri, quattuordecim annos natus, Italide XV, potuit. Jam ipse refert patrem ludis adfuisse, quibus vicit :

Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te sub teste tuli[3].

Papinium autem rhetora vidimus fere anno 80 mortuum esse. Præterea sæpe in illo intervallo Neapoli certavit Publius ; narrat enim quæ genitoris fuerit lætitia *quotiens* carminibus *patres Latios* mulceret[4]. His autem verbis non senatores, qui Romæ agona spectabant, significari manifestum est, cum Romæ queratur concidisse[5], et jam decessisset rhetor cum Domitianus Capitolinos ludos instituit[6], sed Romanos judices, qui Neapoli agonothetæ, quem ipsum Cæsarem aliquando fuisse scimus, assidebant. Nihil suavius legi potest, quam ii versus, quibus Statius patrem effinxit certamen, quo vicit, spectantem :

Heu quali confusus gaudia fletu
Vota piosque metus inter lætumque pudorem !
Quam tuus ille dies, quam non mihi gloria major[7] !

Illum cum athleta seniore confert, qui filium in arena luctantem oculis sequitur et per vices angitur et exsultat. Sæpe enim evenit ut, quemadmodum in gymnicos ludos athletæ, ita in musicos artifices a patre quisque suo deducerentur[8],

[1] De his titulis, v. Foucart. *Scenic. Artif.* p. 73
[2] Teuffel, 321, 1.
[3] *Silv.* V, III, 226-227.
[4] Ibid. vers. 215 et seq.
[5] Vers. 227 et seq.
[6] V. infra p. 64 et seq.
[7] Vers. 217-219.
[8] Cf. *C. I. G.* 1720 et 5805.

a quo præcepta artis didicerant,et eam pietatem,quæ a Statio vere admirabili eloquentia expressa est, multi profecto erga magistros, quos beneficio naturæ acceperant, non minus vivide senserunt. Jam quo genere certaminis primas ille tulerit, non liquet ; cum spicea corona semel donatus sit, forsan græcum ἐγκώμιον prosa oratione tum recitaverat, ut ex simili exemplo conjicere est[1] ; quanquam aliæ coronæ in aliis ludis ob easdem exercitationes videntur datæ esse.

Inter annos fere CCII *et* CCIV, (*Italidas LI et LXI*), Philostratus major, cum Neapolim venisset, ab adolescentibus, qui domum hospitis sui frequentabant, flagitabatur ut in ludis publicis, qui tum forte fiebant, declamaret. Quod cum recusasset, maluit pictas tabulas, parietibus ædium illarum inclusas, coram iis interpretari : quæ occasio scribendi sui *de Imaginibus* operis illi fuit. Unde comperimus sophistarum declamationes (μελέτας) in Augustalibus solitas esse inter alia acroamata audiri. Philostratum, cum anno CLXXXII natus esse videatur, putavimus non ante annum CCII potuisse in Italia artem suam docere. Desiisse autem Philippo principe declamare et profecto vivere eum tradidit Suidas [2].

Disputavit Ignarra eos ludos cum palæstra Neapolitana «Antoninorum temporibus intercidisse, tum cum Neapolitani exuto penitus Græcismo ad jus ac cognomentum coloniæ Romanæ Commodo imperatore evaserunt. » Quod defendit vir ille doctissimus, quia Philostratum credebat Neroni æqualem fuisse [3]. Superquam quod in eo errabat, refellitur illius sententia titulo nuper eruto, qui præconi cuidam, in Augustalibus quater victori,inter annos CCLIII et CCLVII positus est[4]. Augustalia igitur tertio etiam sæculo celebrata esse constat, neque quicquam impedit quominus ea diutius mansisse in usu putemus. Attamen tum præcipue floruerunt, dum soli in Italia agones fuere ita instituti, ut certis vicibus sine ulla intermissione redirent, id est inter annos II et LXXXVI. Postea ad secundum locum deciderunt, cum Domitianus Capitolina ins-

[1] Lucian. *Charidem.* 3. V. supra, p. 43 n. 3.
[2] De his omnibus v. Bougot. *Philostrate l'Ancien.*
[3] P. 146-147, 159-160, 181-182, 221.
[4] *C. I. Att.* t. III. Pars. I, n. 129.

tituit. Inter oblectamenta, quæ Neapoli suppetunt, laudat Statius

> Capitolinis quinquennia *proxima* lustris,

et multum ipse doluit quod in patria, non Romæ vicisset. Itaque Augustalia [1], cum vere πανήγυρις totius Italiæ fuissent, numero provincialium agonum paulatim adscripta sunt. Privilegia vero sacrorum certaminum nunquam amiserunt atque in titulis post annum LXXXVI exaratis magno cum honore memorantur ; ea clarissimus quisque secundi et tertii sæculi athleta et artifex tanta alacritate quanta Olympia aut Isthmia frequentavit.

[1] *Silv.* III, v, 92. V. etiam de Augustalibus Neapolitanis, præter ea quæ supra rettulimus, *Silv.* II, II, 6 et III, I, 153.

VII

DE POETIS ET ORATORIBUS QUI ROMÆ IN AGONE NERONEO CERTAVERUNT

Agonibus Græcis, qui Romæ ante Neronem editi sunt[1], poetæ et oratores si qui interfuerunt, certe una cum scenicis illis artificibus, quos Neapoli et ex aliis civitatibus acciverant magistratus imperatoresque[2], in Urbem venerant ; Romani cum a gymnicis tum a musicis certaminibus ipsi abstinuerunt. Anno autem LX, cum Nero « instituisset quinquennale certamen primus omnium Romæ more græco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia[3], » Romanis scriptoribus quoque coronæ propositæ sunt. Tum ludi illi, qui prius spectaculorum instar et ad oblectamentum concessus celebrabantur, in justos agonas versi sunt, ad excitanda certantium ingenia et corpora positos, neque jam peregrinos modo sed cives etiam allexerunt. Rettulit Tacitus[4] eam novitatem varia fama acceptam esse, ideo autem multis placuisse, quod « oratorum ac vatum victoriæ incitamentum ingeniis allaturæ essent, nec cuiquam judici grave foret aures studiis honestis et voluptatibus concessis impartire.» Immo id unum videntur dedisse qui adversis animis edictum Cæsaris ferebant ; quanquam gravabantur « proceres romanos, specie

[1] V. Friedländer. *Sittengeschichte Roms.* Zweiter Band. p. 433-452.
[2] Plutarch. *Brut.* D. Cass. LX, 23. Foucart. *Scenici artifices*, cap. IX.
[3] Suet. *Nero* XII. Tac. *Ann.* XIV, 20.
[4] *Ann.* XIV, 20.

orationum et carminum, scena pollui. » Verum aperte indicat Tacitus *fuisse a quibus* reprehenderetur princeps, *pluribus* autem illum placuisse : adeo nihil aliud quam quod Græcorum cultus secum advexerat auctoritate sua consecravit.

Neroneus agon ad morem Olympiorum plane constitutus fuit : « Magistros toti certamini (id est musico, gymnico, equestri) Cæsar præposuit consulares sorte, sede prætorum [1].» Nomina profitentium artificum in albo inscribebantur, sorticulisque in urnam demissis, stadium aut scenam intrabant ordine quisque suo [2]. Ii quos judices vicisse pronuntiaverant coronas ferebant.

Primo lustro musicum certamen in Pompeii theatro commissum est [3]. « Nero in orchestram senatumque descendit et orationis carminisque latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat ipsorum consensu concessam sibi recepit [4]. » Agon ille ipsis laudatoribus veterum morum visus est « nullo insigni dehonestamento, ut ait Tacitus, transiisse. » Eum autem sermonibus profecto elevabant : « ne modica quidem studia plebis exarsisse, quia, redditi quanquam scenæ, pantomimi certaminibus sacris prohibebantur [5]. » Re tamen vera non sine assensu ludos acceptos esse et multa indicia [6] manifestum faciunt, et id ipsum quod fatetur Tacitus, per eos dies plerosque incessisse græco amictu indutos [7].

Anno LXIV, *Neroneo lustro II*, præscripta certamina iterum commissa sunt ; quod, si Tacito [8] et Eusebio [9] crederes, anno LXV evenisset ; eos autem procul dubio erravisse primus Friedländer [10] bene statuit : nam, cum Olympiorum instar agona suum imperator composuerit, lustra Neronea necesse est ea-

[1] Suet. *Nero* 12.
[2] Ibid.
[3] Vacca. *Vita Lucani* in Sueton. oper. p. 76.
[4] Cf. Tacit. *Ann.* XIV, 21.
[5] Ibid.
[6] *C. I. L.* IV, 1735. *Bulle'tino del l'Inst. Arch. di Roma.* 1864, p. 37... etc.
[7] Quod ad cetera ejusdem lustri certamina attinet v. quæ collegit Haackh. *Nero*, p. 580.
[8] *Ann.* XVI, 4.
[9] *Chronic.*
[10] In secunda editione.

dem ratione, qua Italides Neapolitanæ, computata esse, ita nempe ut secunda commissio non quinque annis post primam fieret, sed quinto quoque anno, eo etiam in numerum adscripto tanquam primo, quo prima commissio facta erat [1]. Quod ostendit hæc tabula :

I	Anno	LX	Lustrum I
II	—	LXI	
III	—	LXII	
IV	—	LXIII	
V	—	LXIV	Lustrum II [2].

Moræ autem impatiens Cæsar agona suum ante præstitutam diem revocavit, quanquam eodem anno, quantum intelligimus ; quapropter januario mense Haackh illum commissum putat. Prius quidem senatus « ut dedecus averteret (ita enim loquitur Tacitus) obtulerat imperatori victoriam cantus, adjeceratque facundiæ coronam, qua ludicra deformitas velaretur. Sed Nero nihil ambitu nec potestate senatus opus esse dictitavit, se æquum adversus æmulos et religione judicum meritam laudem assecuturum [3]. »

Itaque, certamine in Pompeii theatro commisso, carmen primum in scena recitavit. Quod certo scimus *Trojæ Excidium* fuisse [4] ; hoc enim videtur in consuetudinem venisse, ut poetæ in agonibus non solum brevia atque ad id ipsum composita recitarent, sed partes etiam longiorum operum, quibus conficiendis plures annos insumebant. Non semel profecto *Troica* sua Cæsar in publicum produxit, atque in ludis etiam anni LX aliquid ex iis fortasse populus gustaverat. Inter « honestissimos [5] » viros, qui in eodem agone prodierunt, auditus est Lucanus, tum quintum et vicesimum annum agens [6]. Is carmine *in Imperatorem* (*ποιήματι εἰς Αὐτοκράτορα* [7]) vicit,

[1] Cur Friedländer in quinta editione, mutata sententia, ad memoriam a superioribus probatam redierit et rem in annum 65 incidisse ipse acceperit, non videmus.
[2] V. Ignarra op. cit. p. 47, not. 1.
[3] Suet. *Nero* XXI. Tac. *Ann.* XVI, 4.
[4] D. Cass. LXII, 29. V. Teuffel, 286, 8.
[5] V. supra p. 57.
[6] Sueton. l. c. et Vacca *Vita Lucani*. Teuffel 303, 3 et 4.
[7] V. *C. I. G.* 1585 et supra p. 46 n. 3.

quod haud scimus an id ipsum sit, quod *Pharsaliæ* exordio [1] inseruit. Facile ex hoc loco animo effingas quale fuerit illud genus litterarum. Versus flagitii pleni et dedecoris, quibus Roma multum debere armis civilibus dicitur, quod tristissima illa fata venturo Neroni viam invenerint, hac sententia concluduntur, poetis quoque Cæsarem, Apollinis vice, adspirare canentibus :

Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

Hæc aut talia ut prima ingenii tentamenta dedit Lucanus [2]. Verum fortunam suam omnem corrupit, cum novo Apollini æmulari incepit. Fertur enim « certamine pentaeterico etiam ex tempore *Orphea* scriptum in experimentum adversum complures poetas edidisse, et tres primos *Pharsaliæ* libros, quales videmus [3]. Quare inimicum sibi fecit imperatorem, ita ut interdictum sit ei poetica [4] ; » unde in principem ingenti ira exarsit, quæ nonnisi morte restincta est. Ceterum, quamvis Lucani versus magis placuerint, Nero tamen carminis latini coronam tulit, ut apud alium poetam ejusdem ætatis legitur, cujus nomen excidit [5]. Ille in idyllio amœbæo, ad exemplum *Bucolicorum* Vergilii composito, tres pastores induxit, quorum duo, Thamyra et Ladas, judice tertio Mida, inter se contendunt uter melius Cæsarem laudet. Prope labimur ad credendum illud etiam opusculum inter carmina *in Imperatorem* in agona delatum esse : quod significari videtur exordio et hoc versu maxime :

Præmia si cessant, artis fiducia muta est [6],

et eo etiam, quod auctor enixus est ut forma eclogæ pertritum genus renovaret ; is enim, quem numero amicorum Nero profecto habuit, profitetur se ab Apolline, id est a Cæsare, invitatum esse ut novum aliquid afferret :

Et me sidereo corrupit Cynthius ore
Laudatamque chelyn jussit variare canendo [7].

[1] I, 33-66.
[2] Suet. l. c., Vacca *Vita Lucani.*
[3] Vacca. l. c.
[4] Cf. Tac. *Ann.* XV. 49. — D. Cass. LXII, 29.
[5] *Anthologia latina.* n. 725. — Teuffel. 286, 8, 306, 7.
[6] Vers. 5.
[7] Vers. 17.

Postquam poeticam principis facultatem et *Trojæ Excidium* ad cælum extulit, finem ita facit :

Ergo ut divinis implevit vocibus auras,
Candida flaventi distinxit tempora vitta,
Cæsareumque caput merito velavit amictu.
Haud procul Iliaco quondam non segnior ore
Stabat et ipsa suas delebat Mantua chartas [1].

Hæc satis ostendunt Neronem ob Troica sua coronatum esse, immo fuisse quosdam, qui ea *Æneidi* Vergilii auderent anteferre ; quam incredibilem victoriam noster bucolicorum scriptor copiose descripserat.

Ad eumdem agona locus etiam Petronii videtur esse referendus, quem Ignarra [2], quia de ætate, qua ille vixerit, fallaciter sentiebat, abjudicare a Neapolitano aut Neroneo ad Capitolinum tentavit. Ibi [3] Eumolpus, latinus poeta, ventosissima jactatione exclamat : « Et ego poeta sum, et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet [4]. »

De oratorum certamine secundi lustri et de *laudationibus in Imperatorem* (ἐγκωμίοις εἰς Αὐτοκράτορα [5],) quæ tum habitæ sunt, meminit Tacitus [6]. Cum Cesellius Bassus, origine Pœnus, Neroni nuntiavisset « repertum in agro suo specum altitudine immensa, qua magna vis auri contineretur... et princeps misisset qui velut partam prædam aveherent..... ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebraretur, ab oratoribus præcipua materia in laudem principis assumpta : non enim tantum solitas fruges, nec metallis confusum aurum gig-

[1] Vers. 45.
[2] Op. cit. p. 206.
[3] *Satyricon*, 83.
[4] Gronovius conjecit in agona Neroneum cadere hæc verba Curiatii Materni apud Tacitum (*Dialog. Orat.* XI), quibus nihil corruptius et obscurius in hujus libris invenitur : « Recitatione tragœdiarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem imperante Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi. » (V. Teuffel, 318, 1). Illa Gronovius interpretabatur ita, a Vatinio profanatas esse Musas tragœdia, quam in agone Neroneo recitavisset, eum autem a Materno victum esse. Nihil nisi anceps opinio.
[5] Cf. *C. I. G.* 1585 et supra p. 45 n. 6. et p. 46 n. 3.
[6] *Ann.* XVI, 2.

ni, sed nova ubertate provenire terram, et obvias opes deferre deos, quæque alia, summa facundia, nec minore adulatione, servilia fingebant, securi de facilitate credentis.» Hoc exemplo videre est quomodo vetus et pervulgatum eloquentiæ genus, quoque lustro intextis quæ secum superiores anni attulerant, variare conarentur oratores [1].

Neronia post annum LXIV celebrata esse nemo commemorat. Legitur vero apud Aurelium Victorem [2] Gordianum tertium « lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque in Persas profectum esse. » Quod anno CCXL, ut voluit Friedländer, profecto evenit, quem lustro Neroneo sexto et quadragesimo necesse fuerat incurrere. Sed Neronia una cum Nerone periisse pro certo habemus ; id enim unice Aurelius significat, agona more græco, ad exemplum illius quem Nero olim Romæ ediderat, a Gordiano fuisse institutum, neque quicquam aliud in hoc cum illo commune deprehendimus.

[1] De ceteris ejusdem lustri certaminibus. V Haéckh, l. c.
[2] *Cæs.* XXVII, v. Friedlaender l. c.

VIII

DE LUDIS ALBANIS ET DE AGONE CAPITOLINO[1]

Domitianus « celebrabat in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, ederentque eximias venationes et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina[2]. » De sacro agone in hoc loco Suetonii non agitur, quoniam quotannis et privatorum sumptu Albana illa fiebant, neque quemquam *hieronicam* inde evasisse memorant tituli. Attamen de iis non tacendum existimavimus, quod magna illis fuit cum sacris agonibus similitudo, neque minore in honore ab amicis principis habita sunt, qui laudem scribendi affectabant. Immo etiam illis tanquam schola usus esse Domitianus videtur, qua peritissimus quisque orator et poeta, prius quam quinquennalia attingeret, in circulo minus frequente ederet ingenii experimenta. Vix enim dubitari potest quin Albana anno LXXXVI, ut Capitolina, de quibus infra dicemus, aut paulo ante aut paulo post instituta sint. Nam ambo Martialis in primo epigrammate libri quarti simul nominavit, quem annis LXXXVIII et

[1] Præter libros quos in *Indice* I citavimus, v. etiam Scaliger. *Lectiones Ausonianæ.* I, 10. — Morcelli. *Sull'agone Capitolino.* — Cornel Bock. *Les dernières solennités des Jeux Capitolins à Rome.* — C. L. Visconti. *Il sepolcro del fanciullo Quinto Sulpicio Massimo.* — Ciofi. *Inscriptiones latina et Græcæ.* — Henzen. *Sepolcri antichi rinvenuti alla Porta Salaria.* — H. Sauppe. *Göttingische gelehrte Anzeigen.* — Ciofi. *Lectio inscriptionum.* — A. von Reumont. *Jahrbücher des Vereins von Alterthums freunden in Rheinlande.* — Kaibel. *Epigrammata græca,* n° 618.

[2] Suet. *Dom.* 4.

LXXXIX compositum esse constat[1]. Albana ita Domitianus appellavit, quod in villa ejus prope Albam sita[2] fiebant. Ceterum, ne quid in fastis veteribus mutaret, illa cum Quinquatribus miscuit, ab ultima antiquitate in honorem Minervæ per quinque dies celebratis, Majoribus ex a. d. XIV Kal. apriles, Minoribus vero ex idibus juniis[3]. Singularis erga Minervam pietas sua[4] Cæsarem procul dubio movit, ut illos potissimum dies eligeret. Qui fuerint agonothetæ, ex loco Suetonii supra citato tenes. Præsidebat ipse imperator, coronam auream in capite gerens[5]; aureas quoque coronas, olivam imitantes, poetis qui vicerant propria manu[6] distribuebat[7]. Commissatio in honorem Minervæ dabatur[8]. Statius, qui Albæ agellum, forsan ipsius Cæsaris munere, possidebat[9], in Albanis ter præmium tulit carminibus in victorias Domitiani Germanicas et Dacicas compositis[10]. Illius exemplo intelligimus quomodo qui certabant opera sua solerent in judicium deferre. *Germanica* enim et *Dacica* Statius nunquam absolvit[11]; necesse est igitur partes tantum illorum carminum coram Domitiano recitatas esse; quas postea operi inseruisset auctor; unde apparet, quod jam notavimus, non modo poemata in unum per se ipsa cohærentia in agonibus audita esse, sed fragmenta etiam poematum, quæ aut nondum in vulgus emissa, aut ne perfecta quidem fuerant. Ex *Germanicis*, quæ Statius in Albano certamine canenda scripserat, nihil superest aliud nisi quattuor versus[12], quibus poeta amicos

[1] Teuffel. *Gesch. d. Röm. litt.* 322, 4. — De Capitolina corona, ut plerique interpretes, hoc dici intelligimus ; « Perque manus tantas plurima *quercus* eat. »

[2] Stat. *Silv.* V. II, 168. — Martial. *Epigr.* IX. CII, 12. XI, VII, 3. — Suet. *Domit.* XIX.— Fronton. *Epist. ad M. Cæs.* V, 23. — Plin. *Epist.* IV, II.

[3] *Pauly's Real Encyclopædie, Quinquatrus.*

[4] Suet. *Dom.* XV.

[5] Martial. *Epigr.* IV, 15.

[6] Stat. *Silv.* V, III. 227.

[7] Mart. *Epigr.* IX, XIV.

[8] Mart. *Epigr.* XII, XLVIII, 11.

[9] Stat. *Silv.* III, I, 61. IV, V, 1 et 2. VII, 39. V, III, et seq.

[10] Stat. *Silv.* III, V, 28. IV, V, 21. V, III, 227.

[11] *Silv.* IV, II, 65. — *Thebaïd.* I, 17. — *Achill.* I, 19. — *Silv.* IV, II, 93 seq. — Teuffel. 321, 5.

[12] Ex scholiis Vallæ in Juven. IV, 94. — Cf. *Rheinisches Museum* IX pag. 607. — Teuffel 321, 5.

principis laudat, æque senatores et consulares [1]. Vibium Crispum, ætate tum provectiorem [2], A. Fabricium Veientonem [3], M. Acilium Glabrionem [4]; in ludos enim adhibebantur, ut in ceteras domini voluptates [5]:

. . . .
Lumina Nestorei mitis prudentia Crispi,
Et Fabius Veiento; potentem signat utrumque [6]
Purpura, ter memores implerunt nomine fastos [7];
Et prope Cæsareæ confinis Acilius aulæ.

Inter victores Albanorum laudandus est etiam Carus quidam, de quo mentionem injecit Martialis [8], ceterum ignotus. Eum poetam fuisse præsumitur, quamvis non expresse traditum sit. Coronam auream sibi delatam quæsitiore adulatione capiti statuæ, quæ Domitianum effingebat, ut Nero suam olim Augusti simulacro [9] imposuit.

Domitianus « instituit quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum [10]; » quo autem anno, memoriæ diligenter prodidit Censorinus his verbis: « Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant, ita quidem a Servio Tullio institutum, ut quinto quoque anno censu civium habito lustrum conderetur, sed non ita a posteris servatum: nam cum inter primum a Servio rege conditum lustrum et id, quod ab imperatore Vespasiano V et T. Cæsare III cos. [11] factum est, anni interfuerunt paulo minus DCL, lustra tamen per ea tempora non plura quam LXXII sunt facta et postea plane fieri desierunt; rursus tamen annus idem magnus per Capitolinos agonas cœptus

[1] V. Friedländer. t. I, p. 188-189.
[2] Teuffel. 297, 2.
[3] Ibid. 297, 7.
[4] V. Friedländer. l. c.
[5] V. ea quæ de Glabrione tradidit Dio Cass. LXI, 12 et 14.
[6] Corruptus est versus secundus. Fabricius enim, non Fabius, Veiento vocabatur, ut O. Jahn in *Rhein. Mus.*, recte animadvertit. Legendum est sane, sublato *et:* Fabricius Veiento...
[7] V. Friedländer. l. c.
[8] *Epigr.* IX, xxiv, v. Teuffel. 319, 4 et 324, 2.
[9] Suet. *Nero* XII.
[10] Suet. *Dom.* IV.
[11] LXXIV post Chr.

est diligentius servari, quorum agonum primus a Domitiano institutus fuit, duodecimo ejus et Servii Cornelii Dolabellæ consulatu[1]. » Qui in annum post Chr. LXXXVI incidit. Inde manifesto apparet Domitianum multo plus quam Nero ausum esse, cum græca certamina cum antiquissimo ac pæne obsoleto Romanorum usu conjunxerit, ut sanctimonia et majestas veterum religionum in illa redundarent. De interpretatione autem Censorini inter viros doctos non constat; putat enim Viscontius novo annorum ordini, quos numerari per agonas Capitolinos Cæsari placuit, initium fuisse non annum LXXXVI, sed annum LXXXII, quod verisimile sit imperatorem jussisse ut a primordiis principatus sui origo lustrorum duceretur; cum quidem ad summum fastigium a. d. XIX kal. octobres (die septembris XIV) anni LXXXI pervenisse, sed rationem profecto non habitam esse paucorum mensium qui ante proximum januarium superessent; ita primum agona primo lustro non incipiente, sed exeunte fuisse celebratum[2]. Henzenius illi opinioni occurrit, quod nihil tale Censorinus ferat neque dicat novam temporum notationem a Domitiano institutam, sed antiquam continuatam aut renovatam fuisse[3]. Huic plane assentimur; recte enim monet lustrum anno LXXXVI conditum in eamdem seriem apte referri posse atque id quod anno LXXIV a Vespasiano factum est. Nihil igitur aliud Domitianus quam annum magnum curavit per Capitolinos agonas diligentius servandum, ut majorum instituta non modo non mutasse sed etiam vindicasse a senescendo videretur : adeo vel in novis rebus morem a prioribus traditum Romani reverebantur.

Æstate Capitolina facta esse nemo est qui dubitet. De mense vero, quoniam inter recentiores non convenit, liceat pauca disserere. Apud Herodianum legitur Maximum et Balbinum imperatores, cum omnis civitas ludis Capitolinis occupata esset, ipsi vero soli in Palatio cum Germanis satellitibus remansissent, ab conjuratis militibus occisos esse (anno post Chr. CCXXXVIII[4].) Traditum est eos principes factos esse a. d. VII

[1] *De die natali* XVIII.
[2] *Op. cit.* p. 6.
[3] *Op. cit.* p. 103, not. 1.
[4] Herod. *Hist.* VIII, 8.

id. julias, id est die IX Julii, dum ludi Apollinares celebrarentur, præfuisse autem rei publicæ annum circiter unum[1]. Ergo sequitur eosdem circa idus julias, et, cum Capitolina in tempus ludorum Apollinarium incurrere non potuerint, post idus potius quam ante occisos esse. Accedit quod Censorinus, qui agona Capitolinum undequadragesimum eo ipso anno CCXXXVIII nuperrime editum commemorat[2], videtur augusto mense manum operi suo admovisse[3]. Quapropter veri simillimum est aut exeunti julio aut ineunti augusto adscribenda esse Capitolina. Hæc Viscontio[4] non placent : agona enim, quia a Domitiano ipsis principatus initiis institutum putabat, voluit in septembris idus proferri, quæ diem, quo ille imperium accepit, præcedebant. Erravit autem, et quod falsa ratione, ut vidimus, nixus est, et quod Maximum Balbinumque in septembrem vixisse nullo pacto credi potest[5]. Recte judicavisse eos qui censebant post idus julias Capitolina solita esse celebrari aliud etiam comprobat quod miramur nemini succurrisse. Illa enim, cum Olympia in titulis appellentur[6], Græcorum Olympiis similia profecto in omni re fuerunt, ita ut non tantum eodem modo et ob eadem præmia, sed etiam eodem mense et iisdem diebus in utrisque pugnaretur. Animadverte Græca et Romana (quod sane Domitianus ex proposito cavit) nunquam eodem anno facta esse, ne quicquam apparatus et splendoris sibi mutuo detraherent. Itaque Romana suo anno vicem Græcorum omnino explebant ; Græca autem existimant recentiores, cum primum luna post æstivum solstitium implebatur, incepisse, quod mense Attico boedromione, sub finem Julii et initium Augusti, eveniebat[7]. Jam vero Romana Olympia eodem anno quo Nea-

[1] Capitolin. *Max et Balb.* I. -- Cf. C. I. L. I, p. 396. — V. Le Nain de Tillemont. *Hist. des Empereurs.* t. III. *Maximin,* I, p. 233 et 246, not. 8 et 12.

[2] Censor. *de Die natali.* c. 21.

[3] Petavii *Doctrin. tempor.* II, 22. IX, 45. — Morcelli, l. c.

[4] P. 6, 7.

[5] Clintonii etiam opinio non prætereunda est, qui (*Fasti Romani,* p. 252) idus junias elegit. Cf. Scaliger. *De emend. tempor.* 243. — Eckhel, *Doctrina nummorum.* IV, 437.

[6] C. I. G. 2810 b. Add. et III, p. 729.

[7] Smith. *Dictionary of greek ant. Olympia,* p. 829, col. 2.

politana fiebant: cum prima enim Olympiade Capitolina Italis XXII competebat, cum secunda XXIII et inde porro. Neapolitanis autem sextili mense Augustum præsedisse diximus. Romanis eosdem dies atque Neapolitanis addictos esse procul ab omni fide est : multi enim artifices in titulis inveniuntur qui eodem anno in ambobus quisque vicerunt. Conjicimus igitur Romana exeunte julio, Neapolitana ineunte Augusto continuo celebrata esse, ita ut artifices, inter quos athletæ et musici plerique a remotissimis terrarum regionibus concurrerant, postquam hæc et illa, mediocri temporis spatio interjecto, adierant, citius possent aut domum redire aut alias victorias per Orientem petere.

Agona suum Domitianus Capitolinum nominavit, utpote Jovi Capitolino dedicatum [1]. In Capitolio ipso decertatum esse quidam putant [2], male, ut videtur; vix enim intelligimus quis locus ibi ad spectandos athletas et aurigas, ad musicos poetasque audiendos convenisset [3]. Domitianus vero ob eam ipsam causam, quod nullum Romæ ædificium et athleticis et musisicis certaminibus idoneum erat, jussit Stadium et Odeum in Campo Martio exstrui [4]. Quod si anno LXXXVI utrumque nondum absolutum erat, athleticos ludos in Septis Juliis, musicos in Pompei theatro, ut olim sub Nerone, commissos credendum est ; postea vero agona Capitolinum in novis ambobus ædificiis et in Circo Maximo continuo factum esse.

« Certamini præsedit Domitianus crepidatus, purpureaque amictus toga græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis ac Junonis Minervæque [5] ; assidentibus Diali sacerdote et collegio Flavialium, pari habitu, nisi quod illorum coronis inierat et ipsius imago [6]. » Posterius tamen non semper præsederunt imperatores, ut exemplo Maximi et Balbini

[1] Suet. l. c. V. infra passim.

[2] Morcelli, Visconti, p 7.

[3] Ex omnibus documentis quos attulit Morcelli, unus Plinii locus (*Hist. Nat.* XXVII, 7), dubitationem aliquam injicere posset ; verum in eo, ut apud ejusdem librum VIII, 42, de Circo Flaminio, qui sub Capitolio situs erat, agitur.

[4] Preller. *Die Regionen Roms*. p. 169 et seq.

[5] Trium numinum quæ in templo Capitolino colebantur.

[6] Suet. *Dom.* 4.

apparet, qui in Palatio,dum ludi foris fiebant, ab inimicis oppressi sunt. Absens autem princeps eam curam profecto demandabat amplissimis quattuor sacerdotum collegiis [1],ut instituerat in Actiacis Augustus. De spectatoribus scripsit Herodianus [2] nullum in orbe terrarum conventum fuisse, cujus plausus majore studio artifices captarent.

Confecto agone, judices sententias dicebant, neque quidem secreto, sed ita ut palam pronuntiaretur quot suffragiis valuisset quisque eorum qui in singulis certaminum generibus eminuerant : laudatur enim in titulo poeta quidam quod omnibus sententiis judicum vicerit [3]. Præmia in Capitolio, et sane in ipso templi atrio, distribuebantur, coronæ nempe, quas quernis [4] frondibus constare voluit Domitianus,quod sacra Jovi quercus esset. Aureas autem, ad similitudinem earum, quæ dabantur in Albanis, eas fuisse pro certo habemus, quamvis lemniscos tantum ex auro factos Morcellius arbitretur ; ægre enim capias quomodo Statius se « indutum auro Cæsaris [5] » dixerit. Ita per illud præmium simul στεφανίτης et ἀργυρίτης agon evadebat, cum honori materiæ pretium adderetur ; unde fit ut pecuniam victoribus positam esse nusquam reperiamus. Coronæ in uno quoque genere artium plures dabantur, quod in Panathenæis [6] etiam institutum scimus, ut oratores latini aut poetæ græci, exempli gratia, de prima, de secunda, et fortasse etiam de pluribus contenderent [7]. Eas victores ex ipsa manu Domitiani accipiebant [8].

Illo autem mortuo, periculum fuit ne Capitolinus agon tol-

[1] Tertull. *Spect.* xi, *sacerdotales præsides agonum.*

[2] I, ix, 12.

[3] V. infra p. 84.

[4] Stat. *Silv.* V, iii, 231. *Mixta quercus oliva,* quibus auctor non significat coronam Capitolini agonis quernam oleaginis frondibus intextam esse, ut prave Morcellius intelligit, sed, ut recte Friedländer in quinta demum editione (t. II, p. 438, not. 1).« Sibi non contigisse ut oleaginæ Albanorum coronæ (V. supra),«quernas Capitolinorum frondes misceret.» — Martial. *Epigr.* IV, i. 6. liv. 1. — VIII, lxxxii. — IX. xxiv, 5. — Juven. VI, 387.

[5] Stat. *Silv.* III, 29. Nobiscum faciunt Martialis interpretes *Epig.* VI i, 6.

[6] Rangabé, *Ant. Hellén.* n°.

[7] Martial. *Ep.* IV liv, 2 et interpretes ad h. l. v. etiam Morcell.

[8] Martial. IV i. 6.

leretur, quod ita Plinius Junior Trajani ætate enarravit : « Interfui principis optimi cognitioni, in consilium assumptus. Gymnicus agon apud Viennenses ex cujusdam testamento celebrabatur. Hunc Trebonius Rufinus, vir egregius nobisque amicus, in duumviratu suo tollendum abolendumque curavit. Negabatur ex auctoritate publica fecisse. Egit ipse causam non minus feliciter quam diserte. Commendabat actionem, quod tanquam homo Romanus et bonus civis in negotio suo mature et graviter loquebatur. Cum sententiæ rogarentur, dixit Junius Mauricus (quo viro nihil firmius, nihil verius) non esse restituendum Viennensibus agona ; adjecit :« Vellem etiam Romæ tolli posset.» Epistolam Plinius his verbis concludit : « Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, ut noster hic omnium. Nam Viennensium vitia intra ipsos resident, nostra late vagantur. Utque in corporibus, sic in imperio, gravissimus est morbus qui a capite diffunditur [1]. » Illæ querimoniæ ex eo oriebantur, quod clarissimus quisque civis ab arte athletica abhorrebat [2]; agona improbabant Plinius et amici maxime ut gymnicum. Ñoli tamen putare musicis certaminibus illos pepercisse. Quid de facundia et carminibus, quæ plausus audientium in Odeo movebant, Romani sentirent, infra videbimus.

[1] *Epist.*
[2] De quibus v. Friedländer l. c. p. 440.

IX

DE POETIS GRÆCIS QUI IN AGONE CAPITOLINO CERTAVERUNT

De poetis græcis qui primo et secundo lustro agonis certaverunt nihil rescivimus ; de iis, qui tertio, multa. Anno enim XCIV, duo et quinquaginta[1] nomina professi sunt; inter quos numerandus videtur Diodorus quidam Alexandrinus, quem Martialis[2] tradit, relicta patria, Romam ad Tarpeias coronas venisse ; quanquam ea est epigrammatis, in quo memoratur, protervitas, ut jure dubitari possit, annon fictum nomen adhibuerit Martialis. Certo autem documento, et illo quidem ad afferendam huic commentationi lucem perutili, posteris commendatus est Q. Sulpicius Maximus. Anno MDCCCLXXI cum Romæ Portam Salariam renovandam ædiles jussissent et dirueretur pars muri Aureliani, sepulcrum forte detectum est ; quod cum ætate Domitiani propter Viam Salariam positum esset, postea in ipsa mole unius turrium, quas lateribus Portæ Salariæ Arcadius et Honorius Augusti addiderunt, fuerat inclusum ; cippus funebris, ornamentum monumenti illius præcipuum, sursum deorsum versatus in media structura comparuit. In superiore ejus parte triangulum fastigium exsurgit, intra quod artifex coronam lauream cum lemniscis

[1] V. infra p. 71.

[2] IX. 41. V. Friedländer *Op. cit.* Th. III. III. Anh. 2 p. 435 et Th. II. III. Anh. 19 p. 575.

utrinque volitantibus effinxit. In media autem,imago hominis togati, sinistra manu volumen tenentis, anaglypho sculpta est. In inferiore,hic titulus : « Deis manibus sacrum. Quinto Sulpicio,Quinti filio, Claudia (tribu), Maximo, domo Roma. Vixit annos undecim, menses quinque, dies duodecim. Hic, tertio certaminis lustro, inter græcos poetas duos et quinquaginta professus, favorem, quem ob teneram ætatem excitaverat, in admirationem ingenio suo perduxit et cum honore discessit.Versus extemporales eo subjecti sunt,ne parentes adfectibus suis indulsisse videantur. Quintus Sulpicius Eugramus et Licinia Januaria parentes infelicissimi filio piissimo fecerunt et sibi posterisque suis.» Sequuntur duo epigrammata græca, quibus deploratur fatum pueri præmatura morte intercepti. Versus autem græci tres et quadraginta, qui admirationem audientium moverant, in utroque latere juxta Sulpicii imaginem, ut voluerunt parentes, incisi sunt[1].

Ille patre liberto e gente Sulpicia,immo e Sulpiciis Camerinis, ut ob prænomen Quintum apud eos familiare recte conjecisse Viscontius[2] videtur, ortus erat. Cognomen vero Eugramus græcum hominem prodit. Itaque multo minus obstupendum, quod puer, undecim annos natus, domo Roma,græcos versus ex tempore coram amplissimis judicibus invenerit : græce enim loqui ac latine simul in paterno lare fortasse didicerat. Adde quod cum uno et quinquaginta viris de carminum præmio eum contendisse contra fidem est : illi enim, ut quidem existimamus, aut pueri quoque omnes fuerunt, aut potius in tres classes divisi certaverunt, quarum inferiori, scilicet puerorum, Sulpicium agonothetæ adscripserant. Animadverte, musicos agonas ita institutos esse ut gymnicorum

[1] V. monumenti illius imaginem in tabula, quam primæ fronti hujus libelli præposuimus.Ejusdem φωτογραφίαν faciendam curavit et in syllogen suam recepit Johannes Henricus Parker Britannus. (*Selections* nº 2070). Typis expressa exempla ante nos ediderunt : C. L. Visconti in suo opere *Sul sepolcro...* quod supra laudavimus. — J. H. Parker. *Archæology of Rome*. Part. IX. *Tombs in and near Rome* pl. X. — V. Duruy. *Histoire des Romains* t. IV, p. 696 ; apud quem tam male effictus est Sulpicius noster, ut non volumen in sinistra manu, sed librum habere videatur.

[2] P. 12.

ordinem et normam omni modo referrent. Tei[1], qui studiorum præmia competebant non modo in pueros, ephebos, virosque dividebantur, verum etiam epheborum tres quoque classes erant, quarum superiori, id est majorum, duo certaminum genera patebant, mediæ quattuor,inferiori decem, ita ut tenerrimæ ætati plurimæ exercitationes essent. Longe secus in Urbe, quo optima ingenia ex toto fere orbe terrarum confluebant, Domitianus rem profecto composuerat. Attamen id notatione dignum videtur, quod, cum ex infinito numero eorum, qui in agonibus Neapolitano et Capitolino prodierunt, paucissima tantum nomina supersint, puerorum multa inter ea laudentur : Statios patrem et filium, vix ex adolescentibus egressos, in Augustatibus recitasse supra vidimus ; de P. Annio Floro et de L. Valerio Pudente, qui in Capitolio inter poetas latinos certaverunt, hic tredecim annos natus, ille non multo major, et de rhetore Attio Tirone Delphidio, qui«pæne ab ipsis orsus incunabulis » eumdem agona ætate Ausonii adiit, infra agetur. Quare nobis persuademus nullum omnino miraculum fuisse, quod pueri in publico certamine audirentur, sed omni quinquennio id rite evenisse, neque illos cum viris sed inter se separatim de proprio præmio contendisse, quod parentes Sulpicii, ut admirationem posterorum augerent, tacendum in elogio filii curaverunt. Denique illum vicisse, ut Viscontius crediderat, negavit Henzenius jure vereque : neque enim de victoria parentes verbum fecerunt, sed puerum scripserunt « cum honore discessisse, » quod in titulis pro στεφανωθείς aut νικήσας aut *coronatus est* nunquam occurrit ; dubio autem vocabulo ex industria usi sunt , ne tanto ingenio fortunam invidisse faterentur. Præterea corona,quam in cippi fastigio exsculpendam curaverunt, non querna, ut, si vicisset in Jovis certamine Sulpicius, exspectares, sed, ut in monumentis funebribus quibuslibet videre queas, laurea est. Ex his omnibus inferendum illum ne inter pueros quidem primas tulisse.

Quatenus autem ex tempore versus suos invenerit et quid in carmine ejus laude dignum sit, videamus. Argumentum,

[1] C. I. G. 3088.

quod indictum esse ab ipsis judicibus consequitur, hoc erat : « Quibus verbis Juppiter Solem objurgaverit, quod currum commisisset Phaethonti. » Ovidius [1], postquam necem Phaethontis, fulmine percussi, ordine narravit, Solem fingit Jovi, cujus telis filio orbatus esset, adeo succensuisse, ut officium mundo negaret ; omnia vero numina supplicibus verbis rogavisse ne tenebras orbi induceret, et ipsum miseri patris iram deprecatum esse Jovem :

> Missos quoque Juppiter ignes
> Excusat, precibusque minas regaliter addit [2].

Quamvis apud Ovidium dii majestatis suæ multum amiserint, tamen Homericum nescio quid Sol in illis carminibus spirat, qui, « ira luctibus adjecta, » in Jovem invehatur, neque minis magis quam precibus flectatur, ut lucem in terras pergat spargere ; licet Tonanti parendum videat atque pareat, eos animos gerit, qui numen decent,sine quo rerum natura stare non posset. Ille omnino dissimili persona a Luciano [3], deorum acerrimo derisore, inductus est ; in uno rhetoris illius dialogorum fingitur acerba Jovis objurgatione probe corripi, quod optimo illi aurigæ currum suum commiserit : putas eum in percussorem filii æstuare aut dolorem aliquot verbis prodere ? Minime gentium ; suo in crimine purgando totus demittit auriculas et exclamat :« Peccavi ! Quid vero prævidisset tantam calamitatem inde orituram ? » Urgente etiam domino, instar servi alicujus Plautini respondet se diu pueri consilio obstitisse, annuisse tandem ut morem uxori precanti gereret. Ignoscit bonus deorum hominumque pater, ea lege ne unquam vicarium in ducendis equis ille sibi substituat ; currum reficiat, et sapiat, nisi velit experiri fulmen Solis ipsius ignibus magis ignitum esse. Vix dubitari potest quin Lucianus decantatam apud rhetores declamationem illo dialogo irriserit, et ipsum Sulpicii opusculum id abunde demonstrat. Illo exemplo intelligitur quomodo veteres fabulas, ad usum scholarum in frusta divisas et amplificatas, rhetorum præ-

[1] *Metam.* II.
[2] V. 396-7.
[3] *Dialog. deor.* 25.

cipue argutiæ et calamistri corruperint; ut meræ ineptiarum silvæ evaderent non necesse Luciano fuit multa ex ingenio suo exserere : satis habuit nugas, quæ in auditoriis agitabantur, colligere et, quæ grandibus verbis et epithetorum acervis ornabantur, ea cotidiano sermone eloqui. Qui cum dialogo ejus versus Sulpicii extemporales contulerit aperte videbit a Romano poeta Solem, quamvis taceat, talem effictum esse qualis a Luciano postea fuit, quem Juppiter tam belle exerceat; cum homine hercle facillimo et humanissimo, non cum deo, in illa oratiuncula Jovi res est : tolle poetica verba, personas Luciani habebis; dicas divitem aliquem Romanum in servum stomachari, quod is, homo conjugis imperiis obnoxius, heri equos filio gubernandos tradiderit [1].

In schola Sulpicius non modo argumentum declamationis illius cognoverat, sed etiam sententiarum ordinem fuerat edoctus. Ex abrupto exorsum Jovem, ut Lucianus, fingit his verbis : « Nostri mundi luciferum aurigam neminem alium præter te fecit deorum voluntas. Cur vesanum filium per Olympi convexa misisti eique equorum incredibilem impetum dirigendum credidisti [2] ? » Sequitur hinc calamitatis, quam universo attulit Phaethon, brevis descriptio ex iisdem locis atque apud Ovidium [3] deprompta; pingit Sulpicius læsa illo crimine aera, aquam, terram; quæ Cereris specie fertur « ingemuisse amentis pueri causa; » eas autem querelas fusa oratione Ovidius explicuerat [4]. Deinde amplificantur consilia Soli data : sibi tributum honorem caveat alii mandare, semper medius per orbem eat [5]. Perorat deus per minas jaciendo, se ab illo, si iterum peccaverit, nefandam pœnam repetiturum [6].

Præterea Sulpicium aliquot acuminibus instructum, quæ in materia quoque convenirent aut potius exspectarentur a

[1] Viscontius Jovis orationem Sulpicianam lepidissime vocat *una cicalata.*

[2] Cf. Lucian. Μειρακίῳ ἀνοήτῳ πιστεύσας τὸ ἅρμα.

[3] V. 212 seq.

[4] V. 285 seq.

[5] Ov. v. 134 seq.

[6] Lucian.

judicibus, in certamen magister produxerat. Nullam enim sententiolarum, quas huic declamationi inserere mos erat, omisit. Hinc Oceanum ostendit « manus ad sidera tendentem » ut auxilium Jovis contra Phaethontem petat [1] ; hinc « ignem (Solis) ait igne (fulminis) restinctum esse [2], » ne argutum hoc Ovidii perdat :

Sævis compescuit ignibus ignes [3].

Pro certo habe, si unus et quinquaginta poetæ simul cum Sulpicio eamdem materiam tractaverunt, neminem pulchello illo antitheto non usum esse. In fine etiam carminis profecto aliis verbis repetebatur, cum Juppiter minatur Solem, nisi sapiat, ipsum quoque experturum quanto tela fulminis telis diei præstent [4].

Jam rectius videre est quid per se ipsum in καιρίῳ suo invenerit Sulpicius : neque in argumento novi quicquam illi fuit, neque ut opus disponeret et intra se formaret multum sudavit, neque aliud nisi memoriam suam scrutatus est, ut lumina orationis huc et illuc spargeret. Quare sententiæ eorum, qui carmen pueri mirantur [5], non plenissime suffragamur. Neque ideo nobis placet illam musam « misere balbutire » et versus « infimæ notæ esse [6]. » Fatemur illos non modo omnibus pigmentis, quæ rhetores in promptu habebant, fucatos esse, sed etiam quædam obscure et improprie dicta. Attamen non inelegans nobis Sulpicii sermo neque ab epico carmine alienus videtur ; non sine facilitate fluunt poetica vocabula neque serpit humi oratio. Quod si declamatio illa quanti per se ipsa facienda sit desieris ponderare, et paulo plus indulgentiæ adhibueris, ut erga puerilis ingenii opera decet, non poteris quin concedas ingentem doctrinam fuisse a Sulpicio exhibitam. In uno epigrammatum, quæ carmini extemporali subjecta sunt, ille fingitur viatorem allocutus de se ipse dicere : « Morbus et labor me perdidere ; neque

[1] Sulp. v. 10. Ov. v. 270.
[2] Sulp. v. 18.
[3] V. 313.
[4] Sulp. v. 42. Lucian. sub fine.
[5] Inter quos Ciofi.
[6] Kaibel.

enim nocte neque interdiu Musis mens mea abstinuit[1]. » Quod facile ex *Oratione Jovis* intelligitur. Cogita enim quotusquisque puerorum tam teneræ ætatis apud nos inveniatur, qui versus in externa lingua, ne dicamus in sua, possit componere, qua vero animi contentione puerum undecim annos natum poetarum libris et arti poeticæ studere necesse fuerit, ut cum fabulis, tum prosodia, et epica dialecto tam expedite uteretur.

Verene repentini versus Sulpicii fuerint, Viscontius[2] jure ambigit. Nam extemporale carmen vocari fortasse potuit, quod intra duas aut tres horas, postquam judices argumentum certantibus indixerunt, ut apud nos fit, compositum est. Ille tamen orationem censet potius subito et quasi eodem tempore inventam atque pronuntiatam esse, his rationibus maxime innixus, quod facultatis illius multa exempla etiam nunc in Italia præcipue laudentur, in ipso autem carmine nonnulla subitariæ inventionis indicia possint deprehendi, demum parentes non adeo insigni monumento memoriam filii decoravissent, nisi is raro et incredibili ingenio inter æquales suos præstitisset. Verum eos quibuscum Sulpicius certavit, quos, si non quinquaginta unum, certe multos fuisse vidimus, omnes sub eadem conditione certavisse necesse est, ita ut omnes repentinos versus dixerint, et, quoniam ille non vicit, unum aut plures sequitur in eodem genere exercitationis meliores fuisse. Quod, licet communis et pervagata ea facultas apud Romanos fuerit, vix probamus. Præterea parentes puerum laudant idcirco quia bene, non quia ex tempore dixerit, cum in hoc nihil, ut videtur, laudabile esset. Adde etiam quod Sulpicii simulacrum marmoreum in manibus volumen habet litteris inscriptum, quo libellum, qui poetæ favorem omnium conciliavit, artifex sine dubio effingere voluit ; qualis ante judices prodiit, ille expressus est, stans, uno pede protento, dextra manu ante togæ sinum reducta, læva volumen tenente. Itaque carmen scriptum prius esse quam recitaretur pro manifesto sumimus, eo magis quod eam licentiam rhetoribus, qui prosa oratione contenderent, in eodem agone da-

[1] Epigr. a. v. 3.
[2] P. 9.

tam esse constat[1]. Qui negatum esset in genere litterarum difficiliore quod in faciliore permittebatur? Concludimus igitur versus Sulpicii extemporales dictos esse, quia, postquam nomen suum professus est, improvisum argumentum a judicibus quod tractaret subito accepit, temporis autem definitum spatium ei, ut ceteris, ad scribendum præstitutum esse.

Ex illis quinquaginta uno poetis græcis qui cum puero nostro in scenam Odei prodierunt nullus præter Diodorum, de quo supra diximus, laudatur. Ille autem numerus satis indicat quantum placuerint, quæ Domitianus instituit, certamina. Numerum omnium eorum qui universum studiorum agona eodem anno attigerunt inde subduci posse putaremus, nisi certum esset multos in pluribus quemque generibus auditos esse.

[1] V. infra p. 88.

X

DE POETIS LATINIS
QUI IN AGONE CAPITOLINO CERTAVERUNT

Inter poetas latinos referunt[1] Collinum quemdam, quem Martialis[2] ita salutat :

> O cui Tarpeias licuit contingere quercus
> Et meritas prima cingere fronde comas[3] !

Cum liber *Epigrammatum* quartus, ubi ea leguntur, annis LXXXVIII et LXXXIX scriptus sit[4], necesse est Collinum in agone anni LXXXVI vicisse. De interpretatione autem verbi *prima* ambigitur. Sunt qui putent eo significari *nobilissimam* coronam, et frondem quernam vocari nobilissimam, aut quia Jovi sacra esset aut quia ab imperatore data[5]. Quod nobis minime placet. Intelligunt etiam Collinum vel primum omnium fuisse coronatum, vel primam et præstantissimam coronam adeptum esse. Hunc sensum Morcellius potiorem habuit[6] ; ille pluribus exemplis

[1] Friedländer. *Recensio poetarum Statio, Martiali, Plinio Juniori contemporaneorum.* — Id. *Sittengeschichte.* Th. III, III. Anh. 2, p. 430. Th. II. III. Anh. 10. — De Vit *Onomasticon.*
[2] *Epigr.* IV, 20.
[3] Ibid. 54.
[4] Friedländer. *Sittengesch.* l. c.
[5] Interpretes Martialis ad h. l.
[6] Unde confecit idem plures coronas in quoque certaminis genere distributas esse, ut supra diximus, (V. p. 68) primam, secundam et cet.

defendi potest : sæpe enim in titulis reperiuntur nomina maxime athletarum, qui jactant se *primos omnium* aut in uno aliquo exercitationis genere, quod in illo agone, cui interfuerunt, novum erat, aut in pluribus, quorum palmas nemo antea unitas tulerat, præstitisse. Ac, ne lectorem nimia documentorum copia obtundamus, duos tantum athletas citabimus, qui in Capitolinis anni LXXXVI *primi omnium* vicerunt, Flavium Metrobium Iasensem dolicho[1] et T. Flavium Artemidorum Iasensem pancratio[2]. At qui in eodem agone eodem anno coronati sunt gloriari, quod *primi omnium* vicerint, sua quisque arte omnes potuerunt, quoniam Capitolina prius non erant, et Collinus quidem ut ceteri. Quis fuerit ille Collinus, nemo hactenus repperit. Fictum esse nomen, cum nihil habeat epigramma, quod pudorem et gravitatem viri lædat, non arbitramur ; exstant, quanquam rara, illius cognominis exempla[3].

P. Papinius Statius poeta, cum in Albanis ter coronatus esset, jam majora ausus, in Capitolinum agona prodiit. Iniquam vero sortem expertus est ; quod ægerrime tulit. In illa enim ecloga, quam in honorem Claudiæ uxoris composuit, ita, eam allocutus, acceptum vulnus commemorat :

Tu cum Capitolia nostræ
Infitiata lyræ, sævum ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem[4].

Et in epicedio in patrem suum :

Heu quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, cum lustra Parentis
Invida Tarpeii canerem[5] !

Anno XCIV potius quam LXXXVI aut XC illum victum esse post Friedländerum[6] opinamur. Tertius enim *Silvarum* liber, ubi fortunam primum conqueritur, eo anno aut paulo post editus est ; veri autem simile videtur recentem tum repulsam fuisse,

[1] C. I. G. 2682. Le Bas-Waddington, 301.
[2] C. I. G. 5806.
[3] Manilius A. f. Collinus. V. de Vit. *Onomasticon* s. h. v.
[4] *Silv.* III-v. 31, 33.
[5] *Silv.* V. III. 231 et seq. A scriptura quam probavit Bährens hic discedimus, quia, quid significet, fatemur non videre.
[6] Th. III. III. Anh. 3. p. 443 et Th. II. III. Anh. 19.

quoniam de illa in prioribus libris omnino tacet. Immo haud scimus an ob eam ipsam causam decreverit, relicta Urbe, in patriam regredi [1] ; non quod iram inde ceperit, sed potius quod intelligeret publicum favorem a se distrahi et fortunam retro volvi cœpisse. Quamvis mirari possis poetam, summa apud principem gratia antea subnixum, et cum ingenti assensu in recitationibus auditum [2], subito concidisse, noli putare male judicavisse agonothetas et Domitianum sæviisse in aliquam noxam, de qua nihil posteris traditum sit. Rationem cur speratum honorem Statius non obtinuerit, tota illa ad uxorem ecloga manifesto declarat. Se nuper e gravissimo morbo evasisse ait [3]. Sollicitudinem, quam illi valetudo attulit, augebat profecto rei familiaris mediocritas ; nam, quanquam non, ut Juvenalis [4] loquitur, esuriit, et facultates aliquas habuit [5], tamen, qui cogitaverit qua impensa, quibus profusionibus egeret ille vivendi modus, cui amicorum exemplo, vellet nollet, adigebatur, capiet ei censum suum in Urbe vix suffecisse. Ducendæ etiam privignæ uxoris, puellæ bonis formæ animique ornatæ, petitores deerant [6]. Illud sane fuit quamobrem nubila frontem Claudiæ obducerent [7]. Statius autem se fessum dicebat et senium terra patria componere velle [8]. Utrum quia victus erat tædio elanguit, an quia elanguerat victus est? Hoc longe probabilius videtur.

Offendit etiam alius ejusdem ætatis rhetor et poeta non spernendus, P. Annius Florus [9]. Qui apud recentiores ignorabatur aut idem atque historiarum scriptor fuisse credebatur, cum abhinc annos fere quadraginta fragmentum illius in veteri codice invenerunt viri docti et primum ediderunt. Dialogus est, qui inscribitur : « Vergilius orator an poeta ? » Profitetur auctor se, Africa oriundum, cum agona Capitolinum

[1] Friedländer. Th. III, l. c. Teuffel. 321, 1.
[2] Juv. VII, 86.
[3] *Silv.* III, v. 37 seq.
[4] L. c.
[5] Teuffel. 321, 2.
[6] L. c. v. 54 seq.
[7] 11.
[8] 12.
[9] Teuffel, 341, 7.

puer attigisset, a Domitiano corona privatum fuisse, indignabundum vero, Roma relicta, per varias terras vagatum, denique in urbe Hispaniæ, quam Tarraconem fuisse probabiliter demonstratum est, sedem fixisse et ludum litterarium aperuisse. At ipsa verba Flori referre præstat. Narrat sibi, cum quietem in littore Tarraconis caperet, forte quosdam fuisse obviam, quos ab urbis spectaculo Bæticam revertentes sinister Africæ ventus eo excusserat ; uni eorum, interroganti quis esset, se ita respondisse :

« Florum vides, fortasse et audieris, si tamen in illo orbis terrarum conciliabulo sub Domitiano principe crimini nostro adfuisti. » Et Bæticus : « Tune es, inquit, ex Africa, quem summo consensu poposcimus, invito quidem Cæsare et resistente, non quod tibi puero invideret, sed ne Africa coronam magni Jovis attingeret ? » Quæ cum me videret verecunde agnoscentem, in amplexum effunditur et : « Ama, inquit, igitur fautorem tuum. — Quidni amem ? » et manu alterutrum tenentes avidissime nascentem amicitiam fœderabamus, cum ille interim brevi intervallo usus : « Et quid tu, inquit, tam diu in hac provincia, nec in nostram Bæticam excurris, nec Urbem illam revisis, ubi versus tui a lectoribus concinuntur et in foro omni clarissimus ille *de Dacia Triumphus* exsultat ? Potesne cum hoc singulari ingenio tantaque natura provincialem latebram pati ? Nihil te caritas Urbis, nihil ille victor gentium populus, nihil senatus movet, nihil denique lux et fulgor felicis imperii, qui in se rapit atque convertit omnium oculos hominum ac deorum ? » Atque ego varie perturbatus : « Quid nunc vis ego respondeam ? o quisquis es, mihi quoque ipsi hoc idem mirum videri solet, quod non Romæ morer ; sed nihil est difficilius quam rationem reddere actus tui. Quare desine me in memoriam priorem reducendo vulnus dolorum meorum rescindere. Propitia sit illa civitas, et fruantur illa quibus fortuna permittit. Quod ad me pertinet, ex illo die, cujus tu mihi testis es, postquam ereptam manibus et capiti coronam meo vidi, tota mens, totus animus resiliit atque abhorruit ab illa civitate, adeoque sum percussus et consternatus illo dolore, ut, patriæ quoque meæ oblitus et parentum carissimorum, simi-

lis furenti huc et illuc vagarer per diversa terrarum[1]. » Multa in his notatione digna sunt, nihil autem magis quam ille ambitus, illa contentio circa præmia agonis Capitolini orta. Agon ipse « conciliabulum orbis terrarum » vocatur ; cui plauserunt auditores, illius versus « a lectoribus concinuntur et in foro omni exsultant. » Qui victus est « percussus et consternatus dolore furentique similis huc et illuc vagatur. » Vividiusne dici possit quo assensu rhetores vulgusque institutum a Domitiano certamen exceperint ?

Veram esse Flori narratiunculam et injuria præmium illi negatum esse, non spondemus. Quid non architectatur ad judices obtrectandos repulsi candidati animus ? Si ita ut commemorat Florus sese res habuit et Africanæ fidei credendum est, nihilominus non nisi per metaphoram ille scribere potuit ereptam esse manibus suis et capiti coronam ; quod addidit, vetuisse Domitianum ne Africa coronam magni Jovis attingeret, id multa eum docet, qui studet illorum temporum litteris. Nam, utut de facto ipso est, inde apparet quantum provinciæ cujusque rhetores in scholis circulisque Romæ æmularentur et quos eorum animis Capitolina subdiderint aculeos : fuit profecto inter scriptores ex eadem regione oriundos quædam amicitia et societas, unde non parum auctoritatis eis accedebat : sic Hispanis adspiravit primo sæculo fortuna. Africani autem videntur tum male audivisse ; quod satis superque intelligit qui Africanos sæculi insequentis evolvit, Frontonem, Apuleium, Tertullianum ; non quia multum ingenii Apuleio, Tertullianoque maxime natura non largita est, sed quia eorum stylus longissime a mera latinitate discedit. Fuisse sub Domitiano principe qui genus illud dicendi, plebeio sermone et affectata elegantia admixtum, improbarent, ipse Flori casus testatur ; quibus sane ut placeret, Cæsar ipse judices agonis monuerat Africanum coronari non debere[2]. Quantum existimare possumus ex brevi illo rhetoris nostri fragmento, multa apud eum scholam redolebant ; nullum enim prætermittit lo-

[1] Juli Flori *epitomæ*. — Otto Jahn, *præfatio*. p. XLI-XLII. — Halm. p. 106-109.

[2] V. G. Bernhardy. *Grundriss der Römischen Litteratur*. § 56, notæ 230 et 231. Teuffel. *Gesch. der Röm. litt.*

cum declamandi, et poeticis flosculis orationem distinguit, ut volebat usus. Sed tamen ab illa sermonis latini depravatione cujus Africanos scriptores jure insimulant, videtur Florus in dialogo abstinuisse. Fieri igitur potuit ut sinistra civium suorum fama immerito oppressus sit.

De anno quo victus est et de carmine quod produxit vera primus scripsit Friedländer. Se Florus ab hospite Bætico finxit ita interrogari : « Quid tu... nec in nostram Bæticam excurris, nec urbem illam revisis, ubi versus tui a lectoribus concinuntur et in foro omni clarissimus ille *de Dacia Triumphus* exsultat? » Urbem illam alter [1] intelligebat esse Bæticæ municipium aliquod, illum *de Dacia Triumphum* alter [2] carmen in Trajani victorias compositum, quod ad annos CIV aut CVII referebat. Perperam utrumque. Nam quod ad urbem, manifestum est Romam significari et hoc sibi velle Bætici hospitis verba : « Quid tu nec in provinciam nostram excurris, ut rhetores circumforanei solent, neque Romam revisis, ubi versus tui, ut nuper ipsi recenti itinere comperimus, in foro concinuntur? » Quod ad carmen *de Dacia*, de illo agi, cui applausum erat in agone Capitolino, omnis orationis tenor demonstrat, ita ut Dacicas Domitiani, non Trajani, victorias celebraverit. Quare sententias junge hoc modo : « Tune es quem olim summo consensu poposcimus, invito quidem Cæsare et resistente?... Quid non Romam revisis, ubi etiam nunc versus tui *de Dacico Triumpho*, quanquam a principe repulsi sunt, a lectoribus in foro concinuntur? » *Dacica* igitur in agone Florus recitaverat, quod non nisi annis XC aut XCIV evenire potuit, cum triumphum de Dacia egerit Domitianus sub fine anni LXXXIX. Ea luce clariora habebit qui reputaverit idem argumentum a Statio in Albanis feliciter fuisse tractatum [3].

Consilia Bætici hospitis secutus Florus Romam postea regressus est : neque eum relictæ Tarraconis pænituit; nam cum Hadriano adeo familiariter egit ut facetos versiculos uter-

[1] De Vit. *Onomasticon*. s. v. *Annius*, ut videtur, ex Cavedonio. *Bull. archeol. Napol.* anno 1855, p. 177.

[2] Jahn. l. c. p. XLV, a quo de Vit eum errorem excepit.

[3] V. supra p. 63.

que alteri mitteret. Carmina etiam suavissima, quæ sine nomine auctoris exstant, Floro addicuntur[1]. Simillimum veri est contumeliam cladis, quam sub Domitiano principe acceperat, ab eo non una victoria sub Hadriano in Capitolinis fuisse exstinctam.

Anno CVI[2] carmine latino vicit L. Valerius Pudens puer, Histonio Frentanorum oriundus. Nos, quidquid de illo novimus, hic titulus docet : « Lucio Valerio, Lucii filio, Pudenti. Hic, cum esset annorum tredecim, Romæ, certamine sacro Jovis Capitolini, lustro sexto, claritate ingenii coronatus est inter poetas latinos omnibus sententiis judicum. Huic plebs universa municipum Histonensium statuam ære collato decrevit, curatori rei publicæ Æserninorum dato ab imperatore optimo Antonino Augusto Pio[3]. » Quod sic interpretare, Valerio Histoniensi, cum anno XCIII natus esset, vicisset autem anno CVI, statuam sub Antonino Pio, id est post annum CXXXVIII, a municipibus suis positam esse, cum eum, jam virilem ætatem adeptum, imperator curatorem dedisset Æserniæ Samnitum. Plura de illo frustra inquireremus. Valerius, ut Papinius Statius Veliensis[4], unus ex illis pueris fuit, qui postquam magnam sui exspectationem in natalibus oppidulis fecerant, a magistris et parentibus mittebantur in Urbem, ut doctrinæ experimenta inter robustissimum quemque æqualium suorum darent. Ex amborum exemplo patet quo studio in agonas confluxerint municipiorum scholastici. Et Papinius quidem opinioni, quam teneris annis consecutus erat, deinde respondit, quoniam professus est litteras Romæ cum summo optimatium favore et filium erudivit se ipso illustriorem ; Valerius autem ad illa intermortua ingenia recidit, quæ, cum fuerint omnibus in miraculo, in silentio humilis alicujus muneris senescunt et exstinguuntur.

Illi omnes, quos hactenus recensuimus, epica, ut videtur, carmina recitaverant. Ex tragœdiarum scriptoribus qui vicerunt unus referri in hunc catalogum potest Scævus Memor,

[1] Teuffel, 341, 7.
[2] V. Henzen op. cit., non 110, ut prave Friedländer l. c.
[3] I. R. N. 5562.
[4] V. supra p. 51.

Turni satirici frater[1]. Cujus pictam imaginem ita laudat Martialis :

> Clarus fronde Jovis, Romani fama cothurni,
> Spirat Apellea redditus arte Memor.

Prodiit in agona annis LXXXVI, XC aut XCIV, quia undecimus Martialis liber, unde illum locum excerpsimus, paulo post mortuum Domitianum editus est[2]. Tragici poetæ, non ipsi, ut solebant ceteri, carmina sua in Capitolinis recitabant ; supersunt enim in titulis histrionum nomina, qui inter se in alienis fabulis agendis ibi certaverunt[3]. Quarum multas, ut in Græcorum agonibus vidimus[4], novas fuisse et ipsorum poetarum, qui cum suis quisque actoribus profitebantur, probabile est.

Nunc, tacentibus chartis monumentisque, longus prætereundus est annalium Romanorum tractus, ut aliquis inveniatur Capitolinorum victor. Sub fine tertii sæculi in illo agone contenderunt inter poetas M. Aurelius Olympius Nemesianus, cujus *Cynegeticorum* fragmentum exstat, et Numerianus Cæsar, Cari imperatoris filius, et quidam Aurelius Apollinaris, de quo nihil præterea traditum est : « Numerianus, ut ait Flavius Vopiscus, eloquentia præpollens, adeo ut publice declamaverit... Versu autem talis fuisse prædicatur, ut omnes poetas sui temporis vicerit. Nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui Κυνηγετικά Ἁλιευτικά, et Ναυτικά scripsit, quique omnibus coronis[5] illustratus emicuit ; et Aurelium Apollinarem iamborum scriptorem, qui patris ejus gesta in litteras rettulit, isdem quæ recitaverat editis, veluti radio solis obtexit[6]. » Hæc ad agona Capitolinum Friedländer merito atque optimo jure rettulit. Tres illi poetæ inter annos CCLXX et CCLXXXII, a lustro XLVII ad L profecto recitaverunt. Numerianus enim anno CCLXXXIV occisus est, et, cum admodum juvenis etiam-

[1] Martial. *Ep.* XI, 9. — Teuffel 323, 2 et 3.
[2] Friedländer II, p. 576 et III, III. Anh. II. p. 436 et seq.
[3] Ibid. II, p. 576.
[4] Supra p. 29 n. 10.
[5] Ms. *coloniis* aut *colonis*. Casaubonus correxit *coronis*.
[6] *Histor. Aug. Vopisc. Numerianus.* Teuffel 385, 3 et 386, 1.

tum esset, non ante annum CCLXX potuit audiri. Nemesianus sæpe in illo intervallo coronam tulit ; an a Cæsare victus sit, in ambiguo reliquit historicus. Aurelius autem Apollinaris, qui iambica in Carum imperatorem laudatione placuerat, primas cessit Numeriano. Hic, ut de *Dacicis* Statii suspicati sumus [1], ea quæ recitaverat postea edidit.

Denique Capitolinorum victoribus sine ulla dubitatione inserimus Attium Tironem Delphidium, professorem Burdigalensem, quem mortuum Ausonius ita compellat :

> Tu pæne ab ipsis orsus incunabulis,
> Dei poeta nobilis,
> Sertum coronæ præferens Olympiæ,
> Puer celebrasti Jovem [2].

Anno enim CCCXXXVI Romæ Attius Patera rhetor, Tironis parens, gloriosissime, ut ait Hieronymus [3], docebat : ibi profecto amplum sibi fore putavit, si filium, ut olim in Augustalia Neapolitana Papinius Statius Publium suum [4], in Capitolina produceret ; ille in agone anni CCCXXXVIII, lustro LXIV, annos natus fere aut decem aut duodecim, potuit coronari. Roma deinceps relicta « omnes Gallias prosa versuque suo illustravit ingenio, [5] » et post annum CCCLXV Burdigalæ litteras professus est [6].

[1] Supra p. 63.
[2] Auson. *Professores* V.
[3] *Chronic.* Teuffel 401, 8.
[4] Supra p. 53.
[5] Hieronym. *Epist.* 120. præf.
[6] V. Le Nain de Tillemont. t. IV, p. 475.

XI

DE ORATORIBUS GRÆCIS ET LATINIS QUI IN AGONE CAPITOLINO CERTAVERUNT.

QUANDO SUBLATUS SIT AGON CAPITOLINUS

De oratorum certaminibus Capitolinis hoc tantum accepimus, laudes Capitolini Jovis perpetuam illis materiam fuisse[1], et uno trium primorum lustrorum vicisse Palfurium Suram, hominem moribus procacissimum. Is, consularis filius, a Vespasiano senatu motus fuerat. In eo agone, ubi coronatus est, cunctos ingenti consensu precantes, ut in senatum restitueretur, Domitianus, nullo responso dignatus, tacere tantummodo jussit, voce præconis; quanquam ille principi familiaritate conjunctus erat, immo delationem acerbissime exercebat[2].

Suetonius, qui Cæsarum vitas anno CXX conscripsit[3], ait sua ætate non jam prosa oratione græce latineque in Capitolinis certatum esse[4]. Quod mirandum nemini non videbitur; vix intelligimus cur in agone, quem ceteris apparatu et numero certaminum præstare voluerat conditor, honor esse suus eloquentiæ desierit, cum præmia rhetoribus fere in omnibus πανηγύρεσι ponerentur. Quoniam vero sub Nerva principe non celebrata sunt Capitolina, apte conjeceris a Trajano sublatum esse illud genus certaminis. Eum enim tradit Plinius vetuisse ne imperatorem in ludis publicis pantomimi

[1] Quintil. *Inst. orat.* III. VII. 1.
[2] Suet. *Dom.* XIII. Teuffel 326, 5.
[3] Teuffel 347, 8.
[4] *Dom.* IV.

laudarent ; Domitiani principatum commemorans : « Ecquis jam locus, inquit, miseræ adulationis manebat ignarus, cum laudes imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur saltarenturque ; atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore in senatu et in scena, ab histrione et a consule laudabantur. Tu procul a tui cultu ludicras artes removisti. Seria ergo te carmina, honorque æternus annalium, non hæc brevis et pudenda prædicatio colit : quin etiam tanto majore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent, quanto magis de te scenæ silebunt[1]. » Rhetorum declamationes omisit Plinius, quia in histrionum adulationibus ampliorem habebat materiam indignandi, fortasse etiam quia magna illis erat cum *Panegyrico* suo similitudo. Attamen Cæsar a sui cultu laudationes metro quoque solutas, quæ in agonibus recitabantur, sine dubio removit ; ludicris enim artibus eas annumeratas esse necesse est.

Restituerunt vero rescissum morem principes qui Trajano successerunt. Nam in *Dialogo* quodam qui græce latineque, sæculo sane quarto, conscriptus est, ut iis, qui utramcumque linguam addiscere volebant, cotidiani sermonis aliquam suppeditaret facultatem, ea leguntur : « Laudem scripsi. — Cujus ? — Jovis Capitolini. — Lege. — Magne dixisti ; tolle coronam ; nemo tibi contradicit. » Commenticium colloquium est, in quo illa neque cum iis, quæ supra et infra dicuntur, cohærent, neque ad aliud prosunt, nisi ut interrogandi et respondendi modum imperitos utriusque linguæ doceant[2]. Manifestum est hic de prosa oratione agi ; ex eo etiam quod illa sermoni familiari inter multa alia, ad consuetudinem cotidianam pertinentia, inserta sunt, liquet agona rhetorum Capitolinum fuisse tum in commemoratione omnium assidua. At vero quod dei, dicet aliquis, laudatio exstiterit, non sequitur imperatorem eodem honore celebratum esse. Ita prorsus; fatemur nihil certius apud auctores de hoc inveniri posse. Verum ægre nobis persuademus, quod Trajanus aboleverat, id

[1] *Panegyr.* 54.
[2] Mauricii Hauptii *Opuscula*, t. II, p. 445. *Index lectionum hibernarum* 1871 Ἑρμηνεύματα VI.

Commodum aut Caracallam aut aliquem principem superbia insanientem non revocavisse.

Agona Capitolinum quarto etiam sæculo ineunte Romani retinebant [1]; nam Diocletianus et Maximianus privilegia athletarum, qui in eo coronarentur, edicto sanxerunt [2]. Quod servaverant, a Constantino non sublatum esse [3], cum Delphidii Tironis victoria [4], tum *Dialogus* ille [5], de quo supra diximus [6], manifestum faciunt. Documento quoque esse possunt loci aliquot e Firmici Materni [7] libris desumpti, quibus suum agoni Capitolino honorem, cum de sacris certaminibus nonnisi generaliter agat [8], etiamtum mansisse apparet. Immo imperatores Constantius et Constans Augusti ad Catulinum, præfectum urbis, anno CCCXLII [9], scribebant : « Quanquam omnis superstitio penitus eruenda sit, tamen volumus ut ædes templorum quæ extra muros sunt positæ, intactæ incorruptæque consistant. Nam, cum ex nonnullis vel ludorum vel circensium vel agonum origo fuerit exorta, non convenit ea convelli, ex quibus populo Romano præbeatur priscarum sollemnitas voluptatum [10]. » Capitolinum agona e lege excipi, quæ ferebatur de omnibus, sine ullo dubio noluerunt Augusti. Neque librorum modo auctoritatem in hac quæstione critici adhibent, sed simulacrorum etiam veterum, quibus artifices videntur memoriam certaminis Capitolini prodidisse : in diptychis enim tabellis expressa est Musa lyram ferens, vir autem togatus, sedens, cum libro et voluminibus [11]; conjecit quidam [12] hunc poetam fuisse, qui, cum in Capitolinis circa Constantini ætatem coronatus esset, curaverit ut sua effigies in ebore

[1] Cornel Bock. *Les dernières solemnités des Jeux Capitolins à Rome.* l. c. — Friedländer op. cit. Zweiter Band. p. 578. Anhang 20. *Fortdauer des Capitolinischen Agon.*

[2] *Cod. Just.* X 53 et Friedländer l. c.

[3] Ut crediderat Le Nain de Tillemont.

[4] Supra p. 86.

[5] Haupt l. c.

[6] Supra p. 88.

[7] III. 6, 12, 14, IV, 7. VI. 31.

[8] Friedl.

[9] An CCCXLVI (?).

[10] *Cod. Theodos.* XVI. x, 3.

[11] Gori. *Thesaurus veterum diptychorum.* t. II, p. 243 seq. tab. VIII. —

[12] Bock.

sculperetur, alicui amicorum donanda. Duabus paterarum illarum vitrearum, quæ in subterraneis Romæ cœmeteriis reperiuntur, inter plures imagines, quas recte definire nemini hactenus contigit, inscriptum est: ΚΑΠΕΘ (ώλεια), et: (Hila) RIS VIVAS VALEAS VINCAS [1]. In alia patera ejusdem generis [2] videre est tibicinem, qui sinistra manu tibiam tenet, dextra palmam; hinc vero in ara quinque coronas, illinc hermam, cui imposita est persona tragica; leguntur picta in vitro hæc verba: INVICTA ROMA ILIOR (um), et: ILIA CAPITOLINA, quibus significari viri docti putant [3] agona Capitolinum, quia in honorem Iliorum aut Æliorum, id est Theodosii et domus Augustæ jam editus fuerit. At si Capitolina Theodosio etiam principe stetisse verum est, aut paulo ante illius mortem aut paulo post sublata sunt: anno enim CCCXCIV ut Olympia fieri desinerent ipse edixit [4]. Itaque, quamvis diutius in quibusdam provinciis videantur mansisse in usu ludi Capitolinorum similes [5], et poetæ veterum morum amatores nova opera fortasse composuerint, ut certamina illa vel servarent, vel instaurarent [6], tamen vix credi potest multa lustra antiqui agonis Romæ post annum CCCC celebrata esse. Juvenalis scholiastes [7], quem ferunt sub illud tempus vixisse, cum versum commentetur, quo poeta meminit de quernis Capitolinorum frondibus, ait tanquam de re jam exoleta: « Inde *solebant* coronari. » Enimvero qui leges annis CCCCVII et CCCCVIII scriptas [8] evolverit fatebitur illam « priscarum sollemnitatem voluptatum » diutius perstare, Romæ quidem, non potuisse: adempta pecunia, quam imperatores ad ludos suppeditabant de fisco, non habuerunt certamina a Domitiano instituta unde continuarentur, et, quod inceperat christianorum odium, perfecit barbarorum tumultus.

1 Buonarotti. *Osservazioni.* p. 216 seq. tav. XXX-XXXI.
2 Garrucci. *Vetri ornati.* tav. XXXIV, 1.
3 Bock et Garrucci.
4 Cedren. *Hist. Compend.* t. I, p. 573.
5 V. infra p. 93 n. 5 et 6.
6 Id sibi proposuisse Claudianus potuit in sua *Gigantomachia*, quam de Jovis victoria scripserat et imperfectam reliquit, et alter poeta ejusdem nominis, qui idem argumentum græce in Γιγαντομαχίᾳ tractaverat. V. Teuffel 439, 5. (Conjecit Bock).
7 Ad *Sat.* VI, 387.
8 *Cod. Theodos. Append.* l. X-VI, p. X, LXIX, 16, 10.

XII

DE RELIQUIS POETARUM ET ORATORUM CERTAMINIBUS QUÆ IN OCCIDENTE COMMISSA SUNT

Non cunctis profecto agonibus, quos Romæ Cæsares post Capitolinum instituerunt [1], adjuncta sunt poetarum et oratorum certamina. An ea receperint in Hadrianeia Antoninus Pius, in Herculea Caracalla, in Minervia Gordianus III, in Solis quadriennia Aurelianus, in Millesimum Urbis Philippus, et alii in alia festa ejusdem generis, aut certis vicibus reditura aut semel acta, non certo scimus. Sed in Hadrianeiis quidem cum citharœdus coronatus sit [2], suspicamur nullam defecisse musicorum certaminum partem ; et in Millesimo Urbis, cum sua præmia habuerint præcones [3], et fortasse etiam tragœdi [4], non incredibile est sua poetis et oratoribus fuisse. Quos committere adeo in consuetudinem vertit, ut imperatores illo oblectamento non publicas tantum et sollemnes ferias sed suas ipsorum aut domus suæ secundas res celebrarent. De Gallieno Cæsare hæc tradidit historicus [5] : « Fuit oratione,

[1] Friedländer. t. II, p. 439-440. *Spätere Agonen.*

[2] C. I. G. 3208.

[3] *C. I. Att.* III, 129.

[4] C. I. L. VI, 488, auctore Mommsenio, dubitante autem Friedländero, l. c. p. 440, not. 2.

[5] Trebell. Poll. *Gallien.* XI, 6, 9.

poemate, atque omnibus artibus clarus. Hujus illud est epithalamion, quod inter centum poetas præcipuum fuit. Nam cum fratrum suorum filios jungeret et omnes poetæ græci latinique epithalamia dixissent, idque per dies plurimos, ille fertur » recitasse carmen latinum quod etiam nunc exstat [1]. « Longum est ejus versus orationesque connectere, quibus suo tempore tam inter poetas quam inter rhetores emicuit [2].»

Neque minore studio illi ludi in Occidentis provinciis recepti sunt. Campaniæ urbes multas coronas iis, qui versu prosaque vellent inter se contendere, proposuerunt. Ut Romæ post agona Capitolinum, ita Neapoli post Augustalia proximum locum obtinuerunt Hadrianeia sive Pialia, in honorem Hadriani ab Antonino Pio instituta [3]; quorum ad exemplar Puteoli etiam Pialia sua ediderunt [4]. Ad nova illa certamina, quibus vicerunt tibicines [5], citharœdi [6], præcones [7], quomodo scriptores vocati non fuissent? Pompeiis quidam A. Clodius Flaccus, qui ter duumvir jure dicundo fuit, posteris titulo tradidit se in primo tertioque duumviratu ludis gladiatorum et pyctarum, quos populo dedit, adjecisse « omnia acroamata, » publicas scilicet scriptorum recitationes, inter se forsitan certantium [8]. Beneventi C. Concordius Syriacus, eques romanus, in sepulcro suo scribi jussit se ut poetam latinum fuisse coronatum in munere patriæ suæ [9], in agone nempe quinquennali, qui alio titulo Beneventano memoratur [10]; haud scimus an Romæ etiam idem tulerit præmium [11]. Mediolani Augustinus, cum in ea urbe inter annos CCCLXXXIII et CCCLXXXVII versaretur, laudes imperatori Valentiniano minori, et kalendis januariis anni CCCLXXXV consuli Bautoni « in conventu conspectuque agonum » a se « pro sua rhetorica pro-

[1] Anthol. Lat. 711.
[2] Trebell. Poll. l. c.
[3] C. I. G. 1720, 3208, 5810. *C. I. Att.* III, 128.
[4] C. I. G. 1068, 1720, 3208, 5913. *C. I. Att.* III. 129.
[5] C. I. G. 1720.
[6] C. I. G. 3208.
[7] *C. I. Att.* III, 129.
[8] I. R. N. 2378.
[9] I. R. N. 1501.
[10] I. R. N. 1439.
[11] Ibid. 1501, vers. 6 et Mommsenius ad h. l.

fessione » recitatas esse refert ; quod nonnisi in *encomii* certamine potuit fieri [1].

Africani illis ludis plurimum delectabantur ; Carthagine sæpe poetæ et oratores eorumque discipuli, qui utraque lingua recitarent, publice commissi sunt [2], præsertim postquam Pythicus agon, ibi Severo, ut videtur, principe institutus, floruit [3]. Confitetur Augustinus se, cum Carthagine rhetoricam doceret (CCCLXXIII-CCCLXXXII p. Chr.) « popularis gloriæ sectatum esse inanitatem, usque ad theatricos plausus et contentiosa carmina, et agonem coronarum fœnearum et spectaculorum nugas et intemperantiam libidinum. » Christianorum vero in profanas religiones acerbitate plenus : « Recolo, inquit, cum mihi theatrici carminis certamen inire placuisset, mandasse mihi nescio quem aruspicem, quid ei dare mercedis vellem ut vincerem ; me autem fœda illa sacramenta detestatum et abominatum respondisse, nec si corona illa esset immortaliter aurea, muscam pro victoria mea necari me sinere. Necaturus enim erat ille in sacrificiis suis animantia, et illis honoribus invitaturus mihi suffragatura dæmonia videbatur [4]. » Carthagine diutius etiam quam Romæ mansisse ille mos videtur, si quidem pauca verba, quæ de agonibus generaliter idem Augustinus anno CCCCXX scripsit [5], ad Carthaginiensem referenda sunt [6]. Exemplum maximæ Africanorum urbis minores se cutæ sunt, ut Cirta Numidiæ ; cujus civis quidam M. Cæcilius Natalis fertur anno CCX ludos « cum acroamatibus » dedisse [7].

In Galliis rhetorum agon celeberrimus fuit quem Lugduni Caligula instituit. Ad Aram illam, quam Augustus, Galliis compositis, prope confluentes Ararim et Rhodanum exstrui jusserat (anno XII [8] aut X [9] a. Chr.) [10] et in illo Galliarum con-

[1] *Confess.* VI. VI et Benedictini ad h. l. — *Contra litteras Petiliani.* III, cap. XXV.

[2] Apul. *Florid.* IV, 18.

[3] Krause. *Pythien.* p. 63. — Friedl. t. II. Anhang 21.

[4] *Confess.* IV, I, 1. 3.

[5] *Contra Julianum Pelagianum.* IV, 18.

[6] Bock, p. 708, not. 1. Idem de gymnicis certaminibus notavit Krause *Olympia.* p. 50, not. 4.

[7] C. I. L. VIII, 6996.

[8] D. Cass. LIV, 32.

[9] Suet. *Claud.* 2.

[10] Strab. IV, p. 132, 133.

cilio [1], aut, ut Græci vocabant, in πανηγύρει [2], quæ ibi unoquoque anno kalendis Augustis fiebat, Caligula (annone XXXIX an XL p.Chr., non liquet) [3] edidit « ludos miscellos et certamen quoque græcæ latinæque facundiæ, quo ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem et laudes componere coactos; eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent [4]. » Unde facete Juvenalis [5]:

Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad Aram.

Illa, cum a nemine recentiorum, qui de rebus Lugdunensibus scripserunt [6], non sedulo relata sint, nemo fere interpretando recte explanavit. Plerique enim, quid fuerint illi ludi miscelli, non vident et prave existimant ab Caligula non modo inventum esse novum aliquod ludicrorum genus, sed datum esse etiam exemplum ut Lugdunensium similia Romani postea domi celebrarent. Id vero unum indicat Suetonius, Romano gladiatorum muneri, quod ab Augusti temporibus rite ad Aram dabatur, adjectum esse a Caligula agona Græcum triplicem, gymnicum, musicum, equestrem; musici autem magna pars erant oratorum certamina, de quibus solis, utpote singulari modo ordinatis, Suetonius meminit. Nihil aliud Cæsar quam imitatus est quæ Neapoli septimum

[1] V. Aug. Bernard. *Le temple d'Auguste et la nationalité gauloise.* Anatole de Barthélemy. *Le temple d'Auguste et la nationalité gauloise,* qui commentationes de eodem argumento a prioribus auctoribus scriptas complexus est. D'Arbois de Jubainville. *Les assemblées politiques de l'Irlande.*

[2] *Epistola ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis* apud. Euseb. *Hist. Eccles.* v. I. § 47. — Cf. Renan. *Les premiers martyrs de la Gaule.* p. 303 et maxime p. 318 et seq.

[3] Le Nain de Tillemont. *Histoire des Emper. rom. Caligula.*

[4] Suet. *Calig.* 20. Cf. D. Cass. LIX, 22.

[5] *Sat.* I, 43.

[6] Le P. Menestrier. *Histoire civile ou consulaire de la ville de Lyon.* — Le P. de Colonia. *Antiquitez profanes et sacrées de la ville de Lyon,* et præcipue Monfalcon. *Histoire de la ville de Lyon.* t. I, p. 86 88. — De Boissieu. *Inscriptions antiques de Lyon.* — Hirschfeld *Lyon à l'époque romaine.* p. 90. Adde eos qui de Ara Augusti singillatim tractaverunt (V. supra p. 93 n. 10) et eos qui de vitis Cæsarum, Crevier, Le Nain de Tillemont, Merivale, Duruy, in Caligulæ vita.

tricesimum annum in Augustalibus, apud Græcos vero multis jam abhinc sæculis solebant fieri. Fertur ille « eloquentiæ plurimum attendisse, » immo fuisse « quantumvis facundus et promptus [1]. » Itaque studiis quæ probabat inter cetera sese magnopere fauturum judicavit, si locum præberet et occasionem conveniendi rhetoribus, qui illa ætate Tolosæ, Narbone, Nemausi, Massiliæ, Arelate, Lugduni utraque lingua scribebant et orabant [2]. Legi vero ipsi quam certantibus imposuit, quamvis nihil tam atrox et immane videatur, a quo abhorruerit sæva illius monstri natura [3], tamen aliqua inveniri potest causa et excusatio [4]. Eam enim legem non totam ad victos pertinuisse nemo hactenus intellexit. Capita enim duo complectebatur alterum ab altero diversa, ut perspicue significat Suetonius. Primo « victi victoribus præmia conferebant, eorumdem et laudes componere cogebantur ; » quod nihil habet quod jocum excedat, et principe non insulso dignum est. Secundo « *qui maxime displicuerant* scripta sua spongia linguave delere jubebantur. » Sævitiam ne in hoc quidem deprehendimus, sed jocum minus liberalem. Jam si quis horum parere imperio nollet, « ferulis objurgabatur aut flumine proximo mergebatur. » Quem vero tanta dementia tenebat, ut pœnam, qua vita sua adduci poterat in extremum, solvere potius optaret,quam ridiculum supplicium pati? Immo admodum verisimile videtur legis illius exemplum e Græcis quoque sumptum esse : in sacris enim eorum certaminibus lictores [5] præsto erant ad agonothetarum nutum, qui non modo æmulos et spectatores in officio disciplinaque retinerent, sed etiam eos castigarent qui nimiam artis suæ exhibuerant inscitiam. Tarentinus quidam dives domique non ignobilis nomine Evangelus [6], cum in Pythiis inter citharœdos certa-

[1] Suet. Calig. LIII.

[2] V. *Histoire littéraire de la France. Etat des lettres dans les Gaules avant J.-C. et au premier siècle de l'Église.* t. I, p. 1 ad 223.

[3] Suet. *Calig.* XXI, XXII, XXVII, XXIX etc...

[4] V. de Boissieu op. cit.

[5] μαστιγόφοροι. V. *Thesaur.* H. Stephani. — Maury *Relig. de la Grèce antique* in *Indice.*

[6] Lucian. *In indoctum librorum amatorem.* §. 11. Cicero, in *Rhetor. ad Herenn.* IV, 47, quanquam de flagris tacet, eadem narrat de Græco

re, quanquam et citharæ et cantus omnino imperitus, in animum induxisset, « prodiit optime vestitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, et cum corona aurea, magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatissimam, auro et ebore distinctam. » Ille « magnam populo commovit exspectationem » et « silentium repente factum est. » Citharam autem pulsavit modo ita inconcinno et incongruo, vocemque ita acerbam emisit, ut risus ingens spectatorum omnium coortus sit. Itaque præsides certaminis, indigne ferentes hominis audaciam, *eum lictorum manu flagris cæsum* theatro ejecerunt. Illa severitas apud Græcos ex hoc nata erat, quod existimabantur gravissimam injuriam fecisse majestati deorum et dignitati judicum, qui male compositi et parati ludos adierant. In Olympiis jurabant athletæ se per decem continuos menses omni ope in exercitationibus laboravisse[1]. His fretus Caligula lege minarum plena consuluit, ne Galliarum nequissimus quisque rhetor et barbari qui græca latinaque lingua male uterentur, spe præmiorum allecti, se in scenam Lugdunensem projicerent ; etiam in constituenda pœna indulgentior, quam Pythici agonothetæ, quoniam qui deliquerant rogabantur prius an verberari aut mergi flumine mallent quam scripta sua delere. Mitius hoc supplicium, quod fatemur studiis multitudinis non in primis urbanæ fuisse accommodatum, mortuo Caligula sine dubio non sublatum est[2], quia careret intellectu versus Juvenalis ; ex quo etiam fit manifestum ad Aram longam rhetorum seriem, quamvis dicturi pallerent, dixisse tamen, et fuisse nonnullos, quos judicum rigor ingenitæ majorum nostrorum hilaritati obnoxios dederet.

Cum ad Aram audirentur, necesse est juxta illam aut intra eumdem circuitum olim fuisse theatrum aliquod sive Odeum. Recentiorum qui ante annum MDCCCLXIII de Ara disseruerunt eam putabant sitam fuisse in eo ipso solo, quod nunc ecclesia dicta d'*Ainay* tegitur, nomen hujus derivantes ab

homine quodam, cujus nomen omittit, sed qui non alius fuisse atque Evangelus videtur. Quare Latina verba Ciceronis rettulimus.

[1] Pausan. V. XXIV. 9.

[2] Quod conjecit Monfalcon.

Athanaco, quod invenitur in documentis medii ævi; *Athanacum* autem pro *Athenæo* prave scriptum, et *Athenæum* locum fuisse, ubi rhetores recitarent, opinabantur [1]. In monte vero Sebastiani, cum nuper effoderetur, prope hortum, quem herbarum studiosis colendum civitas olim curaverat, vestigia rursus apparuerunt, quæ ad Aram pertinuisse sine dubio asseverari potest : Rhodanus enim et Araris ætate Romanorum sub ipso monte Sebastiani in unum coibant [2]; quin etiam exploratum est inferiorem illius partem fuisse quondam ecclesiæ Athanacensis, ita ut nomen Athanacum potuerit ecclesia inde potissimum ducere et in reliqua prædia sua, etiam longinquiora, transferre [3]. Restat ut investigatores antiquitatum Lugdunensium omnibus ædificiis, quæ in illa regione urbis intra eumdem circuitum cum Ara complectebantur, suum cuique locum diligentius attribuant. Jam curvæ structuræ ibi repertas ruinas fuisse amphitheatri, quod prius conjecerant, mutata sententia, negant [4]; eas Renan ad exedram refert, ubi sexaginta sedebant populorum Gallicorum legati [5]. Attendant archæologi annon eæ ipsæ sint theatri nostri, sive Odei, sive Athenæi reliquiæ. Ceterum, si ire nequiverint in hanc sententiam, eas alicubi in eadem regione inveniant, necesse est.

[1] V. *Histoire littéraire de la France*. l. c. et formam Lugduni veteris quam designavit Chenavard, *Lyon antique restauré*. n^{os} 11 et 12. Eam inseruit Duruy in suam *Histoire des Romains*. t. IV, p. 575, cum et in aliis, tum in hoc peccasse Chenavard inter doctos constet.

[2] Ubi nunc platea *des Terreaux*.

[3] V. auctores supra laudatos p.93, n.10. E. Renan l. c. et *Journal des Savants* 1881, p. 343.

[4] Renan ibid. p. 344-345.

[5] Renan ibid. p. 345.

CONCLUSIO

Poetarum et oratorum certamina apud veteres ex iis quæ edisseruimus apparet sine ulla intermissione fere ab Homero usque ad Augustinum in honore fuisse. Cum libera Atheniensium res publica maxime floruit, tum optimis legibus illa constituta sunt, et, parta inter clarissimos viros incredibili æmulatione, multa genera litterarum ad summum fastigium evexerunt; tum, permissa omnibus civibus potestate sententias de exquisitissimis operibus ferendi, didicerunt auditores animos suos ad altum illud et vere sacrum ministerium erigere, scriptores autem nihil proferre, quod in aures liberi populi descendere non posset; neque scimus utrum magis mirandum sit, quod tanta summorum ingeniorum exstiterit copia, an quod multitudo, quæ de iis judicaret. Capta etiam Græcia, illæ commissiones non modo non cessaverunt, sed etiam pluribus in dies urbibus adscitæ sunt, et, quanquam multæ causæ eas corruperunt, vix dubium videtur quin multum in diffundendis alendisque studiis potuerint. Eam cupiditatem adolescentibus per totum terrarum orbem injecerunt, ut vetera Græcorum imitarentur miracula, et in publico tentarent quid valerent humeri, quid ferre recusarent. In illis gentibus, apud quas nonnisi sero professoribus res publica docendam juventutem commisit, amorem politi et elegantis sermonis cultumque ingenuarum artium foverunt. Denique documento sunt posteris, quam late ac penitus apud veteres manaverint litteræ et quam innumerabilis fuerit in imperio

Romano illa auctorum plebecula, quæ chartis et monumentis memoriæ hominum non commendata est neque quicquam de se ipsa reliquit. Hæc doctrinæ facem ab ævo in ævum tradidit ; per hanc præclara illa Græcorum hereditas procellas, quibus civitates totiens concussæ sunt, usque ad finem Romani imperii feliciter superavit.

Attamen de studiorum certaminibus, post captam Græciam et post Augustum institutis, cum frequentiora et communiora tum præcipue evaserint, plura comperimus per titulos lapidibus inscriptos quam per ipsos auctores, ita ut ignorarentur propemodum nisi fortuna in lucem redire illa monumenta permisisset. Nam si Capitolinum agona exemplo assumimus, qui omnium celeberrimus fuit atque per annos plus quam trecentos continuo celebratus est, mirandum videri potest fere nusquam apud Romanorum scriptorum maximos, si paucissima verba Martialis et Statii exceperis, de eo mentionem occurrere. Causam vero facile inveniet qui recordabitur quam aspera oratio de agone Viennensi habita sit in Trajani cognitione, et quantum abhorrere se ab illo Græculorum usu ipse Plinius profiteatur. Gymnica quidem certamina agonis Capitolini sola criminatur, quod mores omnium infecerint. Sed tamen inducimus animum non benignius eum et amicos de musicis ac præsertim de poetarum et oratorum certaminibus sensisse et id ipsum fuisse cur ea, quæ non parum momenti habuisse ad sustentandam litterarum laudem facile putaremus, in operibus suis prætermiserint silentio. Neque enim infitiandum est materiam multis vitiis, quæ stomachum gravioribus auctoribus faciebant, inde potissimum suppeditatam esse. Primum consuetudinem pessimis principibus adulandi in gente litteratorum illæ commissiones fœde auxerunt ; eas Romæ primi instituerunt Nero et Domitianus, quorum uterque ne umbram quidem libertatis manere passus est ; immo hic litterarum studium nihil aliud quam simulavit ; poetarum et oratorum certamina, quæ alter, vera etiam carminum et eloquentiæ insania instinctus, in Urbem advexerat, alter ideo unice probavit, quia paratura in omne ævum Musarum ipsarum servitutem videbantur. In ludis Romæ editis quis certantium, præsidente imperatore, non laudare illius

majestatem ausus esset, quis judicum ei suffragari, qui non laudasset? In provinciis autem reverentia longinquitate locorum augebatur; deforme obsequium in scriptoribus enixa magistratuum sedulitas, honorum qualiumcumque cupido alebant. Laudibus Cæsaris omnia quinquennia personuerunt; quibus qui maximis mendaciorum acervis ad astra dominum sustulerant, præmio donabantur. Inde sine dubio viris incorruptæ fidei ira ingens exarsit in illos poetas et oratores, qui, cum de principis virtutibus prædicabant, multa, ut ait Tacitus, « summa facundia, nec minore adulatione, servilia fingebant, securi de facilitate credentis [1]. » Novum illum morem Tacitus aliique improbabant, non vetere Catonum odio adversus Græca instituta impulsi, sed potius quia priscæ Græcorum libertatis nihil in eo supererat. Jure dixerimus, quidquid principes primo sæculo adhibuerint ut litteræ quoque in servitutem redigerentur (inter quos danda est Neroni et Domitiano palma), id institutis Capitolinis agonibus consummatum esse.

Videtur præterea hoc admodum notabile, quod auctores ætatis illius, quam argenteam Romanis litteris fuisse dicunt [2], cum rhetorum præcepta omnes cum lacte nutricis suxerint atque in ingenio suo et in oratione redoleant, alienos a rhetoribus animos plus minus profitentur. Hoc tenus consentiunt Vipstanus Messala [3] et Curiatius Maternus [4] quos Tacitus induxit colloquentes, rhetorum suasoriis et controversiis, scholasticorum scenis maxima ex parte corruptam esse eloquentiam. [5] Plinius Valerium Licinianum [6], quem exsilio projecerat Domitianus, scripsit « *eo decidisse* ut rhetor de oratore fieret [7]. » Ipse Quintilianus ob id ipsum *Institutionem oratoriam* composuit, ut ab affectata rhetorum subtilitate et ab omnibus vitiis, quæ in stylum infundebant, juvenes tueretur [8].

[1] *Ann.* XVI. 2, supra p. 61.
[2] Teuffel. 272.
[3] Ibid. 314, 3.
[4] Ibid. 318, 1.
[5] *Dialog.* 26, 31, 35, 42.
[6] Teuffel. 326, 15.
[7] *Epist.* IV, 11.
[8] Teuffel 272 cum notulis et 325, 8.

In Capitolino autem certamine maximam habuerunt rhetores et scholastici scenam. De sedecim poetis et oratoribus, quos in agonibus Neapolitano, Neroneo et Capitolino diximus prodiisse, sex pueri fuerunt, qui in schola etiamtum sedebant [1], ceteri aut rhetores ipsi aut rhetorum discipuli. Corruptela igitur, quam illa ætate litteris intulit amor declamandi et recitandi, per illas recitationes, e re publica cura principis et magistratuum constitutas, in majus excessit. In scriptoribus enim acuerunt vaniloquentiam et cupiditatem laudis illius, quæ, facile et parvo pretio empta, facile in fumum vertit ; ubertatem ingenii consumpserunt immodico locorum usu ; orationem perdiderunt incitato flosculorum et argutiolarum studio. Tempore quo « sordebat omne quod natura dictavit, » quo « nihil proprium placebat, et « pæne quidquid loquebantur figura erat [2], » spes coronarum nocere magis quam prodesse arti dicendi poterat, cum is vicisse pronuntiaretur, qui ex omnibus « maxime insperata, maxime periculosa, » ut ait Plinius [3], invenerat : modum etiam audaciæ concessum transgredi pro summo ingenio habebatur. Inde accidit ut poetæ oratoresque athletarum, qui in iisdem ludis spectabantur, magis magisque similes fierent : ut eadem illis posita sunt præmia, ita iisdem viis contenderunt ea mereri. Quod querebatur Plato athletas totos tota vita in vanis exercitationibus versari, ad spem victoriarum unice intentos, id sensim in studiosos litterarum cecidit, atque iisdem vitiis ingenia, quibus corpora, laborare cœperunt. Quemadmodum gymnasiarchi discipulos carnibus et vino onerabant, ita rhetores suos immenso aliorum super alia acervatorum præceptorum cumulo. Æque inutile erat ad sustinendos militiæ labores, cæstum in singulos dies tractavisse, ut ad cognoscendam forensem eloquentiam fictas controversias ingentibus verbis declamasse. Illæ profecto causæ fuerunt cur auctores, qui beneficio proprii ingenii sese a pravis magistrorum suorum regulis expedire tentaverunt, frigide illa certamina acceperint, quæ sollemnibus honoribus disciplinam scholasticam consecrarent.

[1] Statii pater et filius, Q. Sulpicius Maximus, P. Annius Florus, L. Valerius Pudens, Attius Tiro Delphidius.

[2] Ex Quintiliano Teuffel 272.

[3] *Epist.* IX. 26.

Christianis placere magis ea non poterant[1], primum quia laudum amorem, quem nova doctrina numero virtutum movebat, videbantur singulariter pascere : « Quid loquar, ait Cyprianus[2], comicas et inutiles curas? quid illas magnas tragicæ vocis insanias?..... Hæc etiamsi non essent simulacris dicata, adeunda tamen et spectanda non essent Christianis fidelibus, quoniam, etsi non haberent crimen, habent in se maximam et parum congruentem fidelibus vanitatem. » Ad hoc semper in aliquem deorum celebrabatur agon universus, quo poetæ et oratores audiebantur et « apparatus agonum idololatria conspurcabat de coronis profanis, de sacerdotalibus præsidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremo boum sanguine[3]. » Quod autem genus litterarum non diis plenum erat? Quæ carmina, quæ fabula pura facinorum? « Sin doctrinam sæcularis litteraturæ, ut stultitiæ apud Deum deputatam, aspernamur, satis præscribitur nobis et de illis speciebus spectaculorum, quæ sæculari litteratura lusoriam vel agonisticam scenam dispungunt. Quod si tragœdiæ et comœdiæ scelerum et libidinum actrices, cruentæ et lascivæ, impiæ et prodigæ, nullius rei aut atrocis, aut vilis commemoratio melior est ; quod in facto rejicitur, etiam in dicto non est recipiendum[4]. » Non secus de certaminibus, quibus interfuit, loquitur Augustinus. Se Carthagine refert « popularis gloriæ sectatum esse inanitatem, usque ad theatricos plausus et contentiosa carmina, et agonem coronarum fœnearum et spectaculorum nugas et intemperantiam libidinum[5] ; » Mediolani autem fuisse quamdam diem « cum pararet recitare imperatori laudes, quibus plura mentiretur et mentienti faveretur ab scientibus, easque curas anhelaret cor suum, et cogitationum tabificarum febribus æstuaret[6]. » Ita rejectis illis voluptatibus, quæ hominum mentes per tot sæcula recreaverant, siluerunt et Romæ et provinciarum scenæ. Sed « fœneas illas coronas, » etiam posteaquam irrupit undique

[1] Tertull. *De spectaculis*, XI et XVIII.— Cyprian. *De spectaculis* IV et VII.
[2] L. c. VII.
[3] Tertull. l. c. XI.
[4] Ibid. XVIII.
[5] *Confess.* IV, I. 1.
[6] Ibid. VI, vi.

et regnavit barbaries, populi nunquam obliti sunt : nam ubi primum, exstinctum ingenti rerum colluvione, lumen litterarum cœptum est per orbem reparari, præmia illa, a majoribus quondam summis ingeniis proposita, auctores incredibili studio petiverunt, multo minus veterum librorum cognitione impulsi, quam obscura quadam et latenti apud multitudinem memoria, quæ longam seriem annorum superaverat. Ac fortassis non indignum esset quærere, quomodo mos ille antiquus post ruinam Romani imperii ad Petrarchi tempora servatus sit, qui reges quæve civitates legibus caverint ne solveretur. Auditoria vero, quibus scriptores, non paucorum eruditorum, sed totius multitudinis suffragia merere contenderent, jam nusquame xstiterunt.

I

INDEX LIBRORUM

QUIBUS IDEM ARGUMENTUM TRACTAVERUNT RECENTIORES

Piccarti (Michaelis), professoris Norici, *Oratio de commissionibus et coronatione poetarum veterum*, in ejusdem *Orationibus academicis*. Lipsiæ, 1614, in-12 p. 199 ad 215. Oratio XI.

L'abbé du Resnel. *Sur les combats et sur les prix proposés aux poètes et aux gens de lettres parmi les Grecs et les Romains. — Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres*. T. XIII p. 331 et seq. (1734).

Martini (Georgius Henricus). *De Græcorum certaminibus poeticis*. Lipsiæ 1769, in-4°. Eam dissertationem idem germanice scriptam inseruit in *Neue Bibliotek der Schönen Wissenschaften*, (Lipsiæ 1762-1809). T. VII. 1. *Musikalische Wettstreite der Alten*.

II

INDEX LIBRORUM

QUIBUS IN HAC DISSERTATIONE CONFICIENDA USI SUMUS

A

Æliani (Claudii) *Opera*. Recogn. Rud. Hercher. 3 vol. in-8. Lipsiæ Teubner, 1866-1874.

Ælii (Aristidis) *Opera omnia* ex recensione Guil. Dindorfii. 3 vol. in-8. Lipsiæ, Weidmam, 1829.

Æschinis *Orationes*. Iterum edidit Fridericus Franke. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1873.

Alciphronis *Epistolæ*. V. **Epistolographi Græci**.

Andocidis *Orationes*. Ed. Fridericus Blass. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1871.

Anthologia Græca. Ed. Fred. Dübner, 2 vol. in-8. Parisiis, Didot, 1864-72.

Anthologia Latina. Rec. A. Riese, 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1870.

Antimachi *reliquiæ*. V. **Hesiodi** *carmina*.

Apuleii *Opera omnia*. Recensuit Dr. G. F. Hildebrand. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Cnobloch, 1842.

D'Arbois de Jubainville (H.) *Les assemblées publiques de l'Irlande* dans les *Comptes-rendus de l'Académie des Sciences morales et politiques*, septembre 1880. T. CXIV. p. 600.

Aristophanis *Comœdiæ*. Ed. Theod. Bergk. 2 vol. in-8. Ed. II correctior. Lipsiæ, Teubner, 1877-78.

— *Scholia Græca* in Aristophanem Ed. Fr. Dübner. 8. Parisiis, Didot, 1843.

Aristotelis *Opera*. Recens. Carolus Prantl, Bernh. Langkavel, Guilelmus Christ et Franciscus Susemihl. 7 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1868-1882.

Arriani *Anabasis* Recogn. Carolus Abicht. 8. Lipsiæ, Teubner, 1876.

Ἀρχαιολογικὴ ἐφημερὶς ἐκδιδομένη ὑπὸ τῆς ἐν Ἀθήναις ἀρχαιολογικῆς ἑταιρίας, ἐν Ἀθήναις, ἐκ τοῦ τυπογραφείου καὶ λιθογραφείου Ἰω Ἀγγελοπούλου.

Athenæi *Deipnosophistarum libri XV* e recognitione Augusti Meineke. 4 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1858-1867.

Augustini (Sancti) *Opera omnia* castigata opera et studio monachorum ordinis sancti Benedicti e congregatione S. Mauri. Editio Parisina altera. 11 vol. in-8. Parisiis, Gaume, 1836.

Aurelius Victor (Sex.) *Œuvres* publiées par M. N. A. Dubois 1 vol. 8°. Paris. Panckoucke, 1846.

Ausone. *Œuvres complètes*, texte et traduction, publiées par E. F. Corpet, 2 vol. 8° Paris. Panckoucke, 1842.

B

De Barthélemy (Anatole). *Le temple d'Auguste et la nationalité gauloise*, in-8. Paris, Paul Dupont, 1864.

Becker (J.-A.). *De Romanorum censura scenica*. in-4°, Magontiæ, 1852.

Bentleii *Opuscula philologica*, cura C. A. Böttiger. Lipsiæ 1781, in-8°.

Bernard (Aug.). *Le temple d'Auguste et la nationalité gauloise*, in-4. Lyon, Scheuring, 1864.

Bernhardy (G.). *Grundriss der griechischen Litteratur*. 3te Bearbeitung. 2 Bd. 8. Halle, 1872-1877.

— *Grundriss der römischen Litteratur*. 5te Bearbeitung. 1 Bd. 8. Brunsvic, 1869.

Bock (Cornel). *Les dernières solennités des jeux capitolins à Rome. Bulletin de l'Académie royale des sciences de Belgique*. Vol. XVI. Bruxelles, 1849.

De Boissieu (Alph.). *Inscriptions antiques de Lyon*, reproduites d'après les monuments ou recueillies dans les auteurs. in-4°, Lyon, Perrin, 1852.

Boettiger (C. A.). *Opuscula et carmina latina*. Collegit et edidit Jul. Sillig. 1 vol. 8 Dresdæ, Libraria Waltheria, 1857.

Bougot (A.). *Philostrate l'ancien. Une galerie antique de soixante-quatre tableaux*. 8. Paris, Renouard, 1881.

Bucolicorum græcorum *reliquiæ*. Recensuit Henr. Ludolf. Ahrens. Ed. II. 8. Lipsiæ, Teubner, 1881.

Bullettino dell' Instituto di corrispondenza archeologica di Roma. 53 vol. 8. Roma, Salviucci, 1829-1883.

Bullettino archeologico Napolitano pubbl. da Avellino e Minervini 4. Tav. Napoli, 1843-1863.

Buonarotti. *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure, trovati nei cimiteri di Roma*. Firenze, 1716, in-fol.

Bursian (Conrad). *Jahresbericht über die Fortschritte der classischen Alterthums-Wissenschaft*. 11 Jahrg. 8° Berlin, Calvary 1875-188 .

C

Cedreni *Compendium historiarum*, accurante J. P. Migne. 2 vol. Parisiis, Migne, 1863.

Censorini *De die natali liber*. Rec. Fridericus Hultsch. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1867.

Chenavard (A. M.) *Lyon antique restauré* d'après les recherches de M. Artaud. Paris et Lyon, 1850, in fol.

Chœrili *fragmenta*. V. **Hesiodi** *carmina*.

Ciceronis *Opera*. Recogn. R. Klotz. 11 vol. Ed. II. Lipsiæ,Teubner 1868-1882.

Ciofi (Avv. L.) *Inscriptiones Latina et Græcæ cum carmine græco extemporali Q. Sulpicii Maximi*. Romæ, ex typographia Salviucci, 1871.

— *Lectio inscriptionum in sepulchro Q. Sulpicii Maximi iterum vindicata*. Romæ, 1872.

Claudiani *Opera*. Recens. L. Jeep. 2 vol. Lipsiæ, 1876-1879.

Clementis Alexandrini *Opera omnia*. Ex rec. Guil. Dindorfii. 4 vol. in-8. Oxonii, 1869.

Clinton (H.-F.). *Fasti Hellenici*. 3 vol. in-4. Oxonii, 1834-1851.

— *Fasti Romani*. 2 vol. in-4. Oxonii, 1845-1850.

Codex Justiniani in *Corp. juris civilis* ed. fratr. Kriegel, Æmil. Hermann, et Eduard Osenbrüggen. 3 vol. Lipsiæ, Baumgarten, 1843. — T. II.

Codices Gregorianus, Hermogenianus et Theodosianus. Ed. Gustav. Hænel. 4. Bonnæ apud Adolphum Marcum, 1842.

De Colonia (le P.). Antiquitez profanes et sacrées de la ville de Lyon. 4. Lyon, 1701.

Comicorum græcorum *fragmenta*. Recogn. Fred. Henr. Bothe 8. Parisiis. Didot, 1855.

Corpus inscriptionum atticarum consilio et auctoritate academiæ litterarum regiæ Borussicæ editum. 5 vol. in-fol. Berolini apud Georgium Reimerum, 1878-1882. (C. I. Att.)

Corpus inscriptionum græcarum auctoritate et impensis academiæ litterarum regiæ Borussicæ edidit Aug. Boeckhius. 5 vol. in-fol. Berolini ex officina academica, 1828-1877. (C. I. G.)

Corpus inscriptionum latinarum consilio et auctoritate academiæ litterarum regiæ Borussicæ editum. 12 vol. in-fol. Berolini apud Georgium Reimerum, 1863-1882. (C. I. L.)

Cresollii *Theatrum rhetorum* in **Gronovii** *Thesauro græcarum antiquitatum*. 13 vol. in-fol. Lugduni Batavorum, 1697-1702. T. X p. 1. ad 248.

Cypriani *Opera omnia* in **Migne** *Patrologia latina* T. III et IV. 2 vol. in-4. Parisiis, Migne, 1865.

D

Decharme (P.). *Recueil d'inscriptions inédites de Béotie* in *Archives des Missions scientifiques*. Paris, Imprimerie Impériale, 1867. p. 483.

Demosthenis *Orationes* Rec. Guilielmus Dinforfius. 3 vol. in-8. Ed.III. Lipsiæ, Teubner, 1878.

Dionis Cassii *Historia Romana*. Ed. Ludovicus Dindorfius. 5 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1863-1865.

Dionis Chrysostomi *Orationes*. Recogn. Ludovicus Dindorfius. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1857.

Dumont (Albert). *Essai sur l'éphébie attique*. 2 vol. in-8. Paris, Firmin Didot, 1875-1876.

Duruy (Victor). *Histoire des Romains.* 5 vol. in-4. Paris, Hachette, 1879-1883.

E

Eckhel (Jos. Hilar.). *Doctrina nummorum veterum.* 8 vol. in-4, Vindobonæ, 1792-1798.

Egger (E). *Essai sur l'histoire de la critique chez les Grecs,*8. Paris, Durand, 1849.

Epistolographi græci. Recens. Rudolphus Hercher 8. Parisiis, Didot, 1873.

Eschyle.*Théâtre.*Traduction française d'Alexis Pierron.Neuvième édition. Paris, Charpentier, 1869.

Euripidis *Tragœdiæ.* Recens. Aug. Nauck. 3 vol. in-8. Lipsiæ Teubner, 1869-1881.

Eusebii *Chronicorum libri II.* Ed. Alf. Schöne. 2 vol. in-4. Berolini, Weidman, 1866-1875.

F

Fabricius (J.-A.) *Bibliotheca græca.* Editio IV, cur. G. C. Harless. 12 vol. in-4. Leipzig, 1790-1838.

Festi *De verborum significatione quæ supersunt.* Emend et annot. C.-O. Muller. in-4. Lipsiæ, 1880.

Flori *Epitomæ.* Recens. Otto Jahn. Lipsiæ, Teubner, 1852.

Foucart (P.). *Mémoire sur les ruines et l'histoire de Delphes,* in-8 avec planche. Paris, 1865.

— *De collegiis scenicorum artificum apud Græcos.* in-8. Parisiis, 1873.

Foucart (P.) et **Wescher** (C). *Inscriptions recueillies à Delphes* 8. Paris, Didot, 1863.

Friedlaender (L.) *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms in der Zeit von August bis zum Ausgang der Antonine.* 3 Bd. 8. Aufl. V. Leipzig, Hirzel, 1881.

— *Recensio poetarum Statio, Martiali, Plinio Juniori contemporaneorum.* 4. Königsberg, 1870.

Fritzsche (Franc. Volcm.) *De Dætalensibus atque Babyloniis Aristophanis commentationes duæ.* 8. Lipsiæ, Wöller, 1831.

Frontonis *Epistolæ.* Rec. S. A. Naber. 8. Lipsiæ, 1867.

G

Garrucci (Padre Raff.). *Vetri ornati di figure in oro trovati nei cimiteri cristiani di Roma*, edizione seconda, Roma, tipografia delle belle arti, 1834.

Gellii (Auli) *Noctes atticæ*. Rec. Martin. Hertz. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1877.

Geppert (C.-E.). *Die altgriechische Bühne*. 8, taf. Leipzig. 1843.

Gori (A.-F.). *Thesaurus veterum diptychorum consularium et ecclesiasticorum*. Florent. 1759.

Grysar (C.-J.). *Ueber den Zustand der Römischen Bühne im Zeitalter des Cicero. Allgemeine Schulzeitung*, 1832.

H

Haackh. *Nero* in **Paulys** *Real Encyclopædie*. 2 V. p. 575 ad 591.

Hauptii (M.) *Opuscula*. 3 vol. in-8. Lipsiæ, 1875-1876.

Heffter. (A. W.). *Die athenäische Gerichtsverfassung* 1 vol. 8 Cöln 1822.

Henzen (W.). *Sepolchri antichi rinvenuti alla porta Salaria. Bullettino dell'Instituto di corrispondenza archeologica di Roma*. 1871 p. 98 et seq.

Hermannus (Godofredus). *De quinque judicibus poetarum. Opuscula* T. VII. Lipsiæ, 1839, p. 88 ad 96.

Hermann (Karl Friedrich).*Lehrbuch der griechischen Antiquitäten* 3. Bd. Heidelberg. Mohr. *Staatsalterthüm*. Aufl. V. 1875. *Gottesdienstlichen Alterthümer* Aufl. II. 1858.

Heriodiani Alexandrini *historiarum libri VIII*. Rec. I. Bekker. in-12. Lipsiæ, Teubner, 1855.

Herodoti *Historiarum libri IX*. Curavit Henr. Rud. Dietsch. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1878-1881.

Hesiodi *quæ feruntur carmina*. Ex recensione Armin. Köchly. 8. Lipsiæ, Teubner, 1874.

— *Carmina*. Ed. F. S. Lehrs. **Asii, Pisandri, Panyasidis, Chœrili, Antimachi** *fragmenta* adjecit Frid. Dübner. 8. Parisiis, Didot, 1840.

Hesychii *Lexicon*. Rec. Maur. Schmidt. 5 vol. in-4. Ienæ, Mauke, 1858-1868.

Heyne (C.-G.). *Opuscula academica.* 6 vol. in-8. Gottingæ, 1785-1812.

Hieronymi *Opera.* In **Migne** *Patrologie* XXII-XXX. Parisiis, 1845.

Hirschfeld. *Lyon à l'époque romaine*, in **Allmer** ,*Revue Epigraphique du midi de la France.* T I, p. 90, (1879.)

Histoire littéraire de la France, par les religieux Bénédictins de la congrégation de St-Maur, nouvelle édition par M. Paulin Paris, 16 vol. in-4. Palmé, Paris, 1865-1869.

Historiæ Augustæ scriptores. Rec. Herm. Peter. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1865.

Historicorum græcorum *fragmenta.* Ed. Car. et Th. Mülleri. 5 vol. in-8. Parisiis, Didot, 1841-1870.

Homère. *Poèmes.* Texte grec, revu et corrigé par Alexis Pierron, 4 vol. gr. in-8. Paris, Hachette, 1869-1875.

Horatii *Carmina.* Recogn. L. Müller. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1879.

I

Ignarra. *De Palæstra Neapolitana.* Neapoli, 1770.

Isæi *Orationes.* Ed. Carolus Scheibe. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1874.

Isocratis *Orationes.* Editio altera curante Friderico Blass. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1878-1879.

Juvenalis *Satiræ.* Rec. O. Jahn. in-8. Berolini, 1851.

K

Kaibel (Georg.). *Epigrammata græca ex lapidibus conlecta.* 1 vol. in-8. Berolini, Reimer, 1878.

Keil (Karl) *Sylloge inscriptionum bœoticarum.* 1 vol. 4. Lipsiæ 1847.

Kirchhoff (A.). *Zwei Argumente des Aristophanes von Byzanz* in: *Zeitschrift für das Gymnasialwesen.* 7 Jahrgang (1853). Suppl.-Bd. p. 46-53.

Koumanoudis (Stephan). Ἐπιγραφαὶ Ἑλληνικαὶ ἀνέκδοτοι gr. 4° ἐν Ἀθήναις Wilberg 1860.

Krause (Dr. Johann Heinrich). *Olympia oder Darstellung der gros-*

sen Olympischen Spiele und der damit verbundenen Festlichkeiten. 8. Wienn. Fr. Beck's Universität's Buchhandlung, 1838.

— *Die Pythien, Nemeen und Isthmien, aus den Schrift und Bildwerken des Alterthums dargestellt.* Leipzig, Verlag von Johann Ambrosius Barth. 1841.

— *Die Gymnastik und Agonistik der Hellenen aus den Schrift- und Bildwerken des Alterthums wissenschaftlich dargestellt.* 2 Bd. 8. Leipzig. Verlag von Johann Ambrosius Barth, 1841.

L

Le Bas (Ph.) et **Waddington** (W. H.) *Voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure,* 85 livraisons in-4. Paris, Didot, 1847-1877.

Le Nain de Tillemont. *Histoire des Empereurs.* 6. vol. in-4. Paris, 1670-1738.

Lévesque (Pierre Charles). *Considérations sur les trois grands tragiques de la Grèce* dans les *Mémoires de l'Institut,* classe de littérature t. I p. 309 et dans ses *Études de l'histoire ancienne* (5 vols. 8. 1811) t. V p. 4 et suiv.

Livii (Titi) *Opera.* Iterum recogn. Wilh. Weissenborn. 6 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1877-1882.

Luciani *Opera.* Recogn. Car. Jacobitz. 3 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1876-1878.

Lyrici græci. Recens. Theodorus Bergk. Ed. III. 3 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1843-1878.

Lysiæ *Orationes.* Recens. Carolus Scheibe. Editio altera. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1874.

M

Macrobii *Opera.* Recogn. Franciscus Eyssenhardt. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1868.

Martialis *Epigrammata.* Ed. Schneidewin. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1868.

Marquardt (J.) und **Mommsen** (Th.) *Handbuch der Römischen Alterthümer.* 7 Bd. Aufl. II. Leipzig, Hirzel, 1877-1881.

Matter (J.). *Histoire de l'Ecole d'Alexandrie*, 2e édit. 3 vol. in-8. Paris, Hachette, 1840-1844.

Maury (Alf.) *Histoire des Religions de la Grèce antique*, 3 vol. in-8. Paris, Ladrange, 1857-1859.

Menestrier (le P.). *Histoire civile ou consulaire de la ville de Lyon*, 1 vol. in-fol. Lyon, de Ville, 1696.

Mommsen (Th.). *Römische Geschichte*, 3 Bd. 8. Aufl. VI. Berlin, 1874-1875.

— *Inscriptiones regni Neapolitani latinæ*. 1 vol. in-fol. Lipsiæ, Wigand. 1852. (I. R. N.)

Monfalcon. *Histoire de la ville de Lyon*. 3 vol. in-8. Lyon, Techener, 1846-1847.

Morcelli (Abate Stefano Antonio). *Sull'agone Capitolino*, dissertazione del ch. Sig. — publicata dal dott. Giovanni Labus. Milano coi tipi di Giovanni Pirotta, 1816.

Müller (Otfried). *Histoire de la Littérature grecque*, traduite par K. Hillebrand. 2e édit. 3 vol. in-12. Paris, Durand et Pedone-Lauriel. 1866.

— *Die Dorier*, 5 Bd. 8. Breslau, 1844.

O

Oratores attici. Ed. Car. Müller 2 vol. in-8. Parisiis, Didot, 1846-1858.

Osann (F.). *Analecta critica* 8. Berolini, Dünnler, 1816.

Ovidii *Opera*. Recogn. Rudolph. Merkel. 3 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1880-1881.

P

Panyasidis *Fragmenta*. V. **Hesiodi** *Carmina*.

Parker (John Henry) Selections from historical photographs of Rome and Italy. London. Stanford.

Parœmiographi græci. Ed. Leutsch et Schneidewin. 8. Gottingæ, 1839-1851.

Patin (H.). *Etudes sur les tragiques grecs*, 3 vol, in-12. Paris, Hachette, 5e édition 1877.

— *Etudes sur la poésie latine*, 2 vol. in-12. Paris, Hachette, 1875.

Pauly (Aug.). *Real Encyclopædie der Alterthums Wissenschaften*, 8 vol. II Auflage. Stuttgart, Metzler, 1854.

Pausaniæ *Descriptio Græciæ*. Recogn. Johannes Henricus Schubart. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1875-1881.

Petavius. *Opus de doctrina temporum* 3 vol. in-fol. Antverpiæ, 1705.

Petronii *Satyricon* iterum edidit F. Bücheler. 8. Berolini, 1871.

Philostrati (Flavii) *Opera*. Ed. C. L. Kayser. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1870-1871.

Pindari *Opera quæ supersunt* cum scholiis. Rec. A. Boeckh. 3 vol. in-4. Lipsiæ, Weigel, 1811-1821.

— *Carmina*. Recogn. W. Christ. 8. Lipsiæ, Teubner, 1879.

Platner (Eduard). *Ueber den Process und die Klagen bei den Attikern*. 2 vol. 8. Darmstadt, Leske, 1824-1825.

Platonis *Dialogi*. Rec. Godofredus Stallbaum. 10 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner. 1877-1880.

— Ex recensione R. B. Hirschigii et C. H. Ch. Schneideri. 3 vol. in-8. Parisiis, Didot. 1873.

Plauti *Comœdiæ*. Recogn. Alf. Fleckeisen. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1873-1879.

Plinii *Naturalis historia*. Ed. Lud. Ianus et Carolus Mayhoff. 6 vol. in-8, Lipsiæ, Teubner, 1859-1878.

Plinii Junioris *Opera*. Recogn. Henricus Keil. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1873.

Plutarchi *Vitæ parallelæ*. Iter. recogn. Carolus Sintenis 5 vol. in-8. Teubner, Lipsiæ, 1874-1877.

— *Moralia*. Rec. Rudolf. Hercher 1 vol. in-8. Lips. Teubner, 1872.

Pollucis *Onomasticon*. Rec. Imm. Bekker. 8, Berolini, Nicolai, 1846.

Preller. (L.) *Die Regionen der Stadt Rom*. 8. Ienæ, 1846.

Q

Quintiliani *Institutio oratoria*. Rec. Eduard Bonnell. 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1875-1879.

R

Rangabé. (A. R.) *Antiquités helléniques.* 2 vol. in-4. Athènes. Typographie royale, 1842-1855.

Renan. (Ern.) *Les premiers martyrs de la Gaule*, in *Revue historique* T. XVII. p. 303.

— *Topographie chrétienne de Lyon*, in *Journal des Savants* 1881, p. 339.

Reumont (A. *von*) *Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande.* Bonn. 1872. Heft. LII. s. 39.

Rheinisches Museum für Philologie Bonn. 1827-1882.

Rhetores Græci. Recogn. Leo Spengel. 3 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1853-1856.

Ribbeck. (Otto.) *Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik* 8. Leipzig, 1875.

Ritschelius (F.) *Parergon Plautinorum Terentianorumque*, 1845.

S

Saglio (Edmond). *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines* in-fol. Paris, Hachette, 1873-1882.

Sauppe (H.) *Ueber die Wahl der Richter in den musischen Wettkämpfen an den Dionysien. Berichte über die Verhandlungen der Königlich Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig. Philologisch-historische Klasse* 1855. p. 1.

— *Göttingische gelehrte Anzeigen.* 1871. p. 1836.

Scaliger. (J.) *Lectiones Ausonianæ*, Lugduni, 1575. I. 10.

Schneidewin. (F. G.) *De hypothesibus tragœdiarum græcarum Aristophani Byzantio vindicandis commentatio.* 4. Gottingæ, 1854. Exstat etiam in : *Abhandlungen der Königlich Gesellschaft der Wissenchaften zu Göttingen.* Bd. VI. 1853-1855.

Smith. (William) *Dictionary of Greek and Roman antiquities.* 8. London, Murray, 1878.

Statii *Silvæ.* Rec. Baehrens. Lipsiæ, Teubner, 1876.

Stephani (Henrici) *Thesaurus græcæ linguæ.* 8 vol. in-4. Ed. Didot, Parisiis, 1831-1865.

Strabonis *Geographica.* Recogn. Aug. Meineke. 3 vol. in-8. Lips., Teubner, 1866-1877.

Suetonii *quæ supersunt.* Rec. Carol. Ludov. Roth. 1. vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1875.

Suidæ *Lexicon*. Ex recognitione Imman. Bekkeri. 8. Berolini, Reimer, 1854.

T

Taciti (Cornelii) *libri qui supersunt;* tertium recognovit Carolus Halm, 2 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1877-1880.

Tertulliani *quæ supersunt omnia.* Ed. F. Oehler. 3 vol. Lipsiæ, 1852-54.

Teuffel. (W. S.) *Geschichte der Römischen Litteratur.* Aufl. III. 3. Bd. 8. Leipzig, 1875.

Theocriti *Idyllia.* V. **Bucolici græci.**

Tragicorum græcorum *fragmenta.* Collegit Fredericus Guilelmus Wagner. Parisiis, Didot, 1846.

V

Valerii Maximi *Factorum et dictorum memorabilium libri novem* Rec. Carolus Halm. 1 vol. in-8. Lipsiæ, Teubner, 1865.

Visconti (Cav. Carlo Lodovico). *Il sepolcro del fanciullo Quinto Sulpizio Massimo delineato dall' architetto conte comm. Virginio Vespignani, con dichiarazione del monumento pel* — Roma, tipographia della s. c. de propaganda fide, 1871.

Vit (Vincent de). *Onomasticon totius latinitatis.* 4. Prato 1859-1876.

Vitruvii *De architectura.* Ed. V. Rose et H. Müller-Strübing. 8. Lipsiæ, 1867.

W

Waddington (W. H.) *Mémoire sur la chronologie de la vie du rhéteur Ælius Aristide. Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles Lettres.* T. XXVI (1867) p. 255.

— *Voyage en Asie Mineure* V. **Le Bas.**

Walchius. *Diatribe de præmiis veterum sophistarum, rhetorum et oratorum* § 11 et seq. *Parerga Academica*, Lipsiæ, 1721.

Z

Zenobius. V. **Parœmiographi græci.**

INDEX CAPITUM

Præfatio 1

I. — De poetarum certaminibus apud Græcos ante Alexandrum 1

II. — De poetarum judicibus apud Athenienses 11

III. — De poetarum et oratorum certaminibus apud Græcos ab Alexandro ad Augustum 26

IV. — De poetarum certaminibus apud Romanos ante Augustum 34

V. — De poetarum et oratorum certaminibus apud Græcos post Augustum 41

VI. — De poetis et oratoribus qui in agone Neapolitano inde ab Augusti ætate certaverunt 49

VII. — De poetis et oratoribus qui Romæ in agone Neroneo certaverunt 56

VIII. — De ludis Albanis et de agone Capitolino. 62

IX. — De poetis græcis qui in agone Capitolino certaverunt. 70

X. — De poetis latinis qui in agone Capitolino certaverunt. 78

XI. — De oratoribus græcis et latinis qui in agone Capitolino certaverunt. — Quando sublatus sit agon Capitolinus 87

XII. — De reliquis poetarum et oratorum certaminibus quæ in Occidente commissa sunt 91

Conclusio 98

Ex typis DESTENAY, Saint-Amand (Cher).

CORRIGENDA ET ADDENDA

P. 17 not. 5. pro Ρόλεις legendum est Πόλεις.

P. 73 l. 23. pro *quid vero prævidisset* legendum est *quis vero prævidisset.*

P. 79 not. 3. Post *Manilius A. f. Collinus* adde *C. I. L. V.* 2650 V. præterea indices C. I. L. in quibus cognomen illud sæpius reperitur.

P. 84 not. 3. I. R. N 5562 = C. I. L. IX. 3778.

P. 92. not. 8. I. R. N. 2378 = C. I. L. X. 1074.

Ibid. not. 9. I. R. N. 1501 = C. I. L. IX. 1663.

Ibid. not. 10. I. R. N. 1439. = C. I. L. IX. 1666.

P. 93. Statuam rhetoris, qui Alexandriæ sub Cæsaribus profecto coronatus fuerat, typis expressam edidit et interpretatus est Böttiger (Karl Aug.) *Amalthea* (3 vol. 8. Leipzig 1820-1825) t. III tab. VIII p. 449 et seq.

P. 93 l. 21. *Cujus civis quidam*... M. Cæcilius Natalis ille idem est quem Minucius Felix in suum *Octavium* induxit. V. G. Boissier, *l'Octavius de Minucius Felix* in *Journal des Savants* 1883 p. 447 not. 1.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. IV. id. Febr. an. MDCCCLXXXIII.

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus.

A. HIMLY.

TYPIS MANDETVR :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.